**Observationes anatomico-pathologicae / Lugduni Batavorum : Apud P.v.d. Eyk et D. Vygh, 1777-81.**

**Contributors**

Sandifort, Eduard, 1742-1814

**Publication/Creation**

1777-1781

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/dz68h5ft

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

45972/C

E. III 18/s

# OBSERVATIONES
# ANATOMICO-
# PATHOLOGICÆ.
## LIBER II.

ED. SANDIFORT,

*MEDICINÆ, ANATOMES, ET CHIRURGIÆ, IN ACADEMIA BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORIS,*

# OBSERVATIONES ANATOMICO-PATHOLOGICÆ.

## LIBER SECUNDUS.

*LUGDUNI BATAVORUM,*

APUD P. v. D. EYK ET D. VYGH,

MDCCLXXVIII.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

Verwijderd K. B.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# OBSERVATIONES ANATOMICO-PATHOLOGICÆ.

## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT PRIMUM.

*De Utero Gravido.*

Talis hominum conditio eſt, ut, in lucem emiſſi, ſenſim increſcant, incrementum plenarium adtingant, tum vero decreſcant, ac demum ſenio confecti pereant; tantus autem morborum, quibus per totum hoc temporis ſpatium exponuntur, numerus eſt, tot tantisque copiis miſeros quotidie adoriuntur affectus, ut pauci adultam ætatem, nedum ſenium, adtingant; &, dum omnibus, ſaniſſimis etiam, ſerius ocius moriendi neceſſitas impoſita eſt, mundus, etiamſi vaſtiſſimus, in deſertum mutaretur,

 niſi

niſi continuo in lucem ederentur infantes.

Indidit eapropter homini Summum Numen talem vim, ut ſui ſimilem procreare poſſit. Huic ſcopo diverſa admodum, ſed ſibi maxime accommodata, organa utrique ſexui dedit.

Vir prolificum ſemen, in teſtibus confectum, in veſiculis ſeminalibus aſſervatum, fœcundæ immittit matrici. Fœmina illud excipit, admittit, fœtum, inde & ex iis, quæ ipſa adfert, enatum, cuſtodit, alit, fovet, donec tantum perfectionis acquiſivit gradum, ut extra matris corpus vivere, aërem haurire, aſſumta ventriculo concoquere poſſit, &, elapſis novem a conceptu menſibus, non ſine dolore, fractis repagulis, per vias genitales, expellit.

Uterque ergo ſexus ad prolem procreandam ſuum confert, ſed, dum vir, coitu peracto, rem omnem geſſit, fœminæ difficile incumbit officium.

Parvus prius, in pelvi totus deliteſcens, modo contractus, denſus, uterus, jam gravidus, ovo, quod concepit, & humoribus majori copia adfluentibus, vaſaque ſic replentibus, ut fibræ ſenſim diducantur, totaque ſubſtantia mollis, rara, fungoſa fiat, extenditur; pondere ſuo primum deſcendit, mole ſenſim ſenſimque auctus adſurgit, pelvim,

qua

qua amplius contineri nequit, derelinquens ſuperiora petit, viſcera repellit, verſus hypochondria & epigaſtrium urget, immo has regiones ferme adtingit.

Felices fœminæ, quæ ex hac mutatione nihil omnino incommodi, nihil mali, patiuntur! aſt exiguus illarum numerus eſt, quæ gratam hancce ſarcinam nullas ſibi creare moleſtias gaudent.

Multarum contra, imo plurimarum, magnæ ſunt miſeriæ; &, dum varias tum conſervandi tum propagandi generis humani cauſa ſuſtinent moleſtias, variis obnoxiæ fiunt, peculiaribus, ſexui noſtro ignotis, morbis. Nervorum, ipſo conceptus tempore, graviditatis principio, ſæpe inſigniter adfectorum, turbas; non prodeunte dein lunari tributo plethoram, indeque derivanda mala; preſſione uteri in vicinas partes alvum tardam, urinæ difficilem excretionem, plenariam ſæpe retentionem, genitalium, artuum inferiorum œdematoſum tumorem, vaſorum varicoſa tubercula; inceſſum difficilem; pravam digeſtionem; motu porro fœtus ſingulares & ingratas ſenſationes, leipothymiam, in genere malorum valde diverſorum ingentem experiuntur copiam.

Graviditatis itaque ſtatus non Anatomicorum tan-

tum & Medicorum, ſed omnium hominum attentionem in ſe traxit, ſenſimque eo deventum eſt, ut pleraque ſymptomata ex iis, quæ Anatome detexit, ſana Pathologia commode explicet.

Verum, etiamſi multi gravidum uterum ſecuerunt, examinarunt, deſcripſerunt, figuris illuſtrarunt (*a*), tot tamen reſtant, nondum ſatis determina-

(*a*) Doct. Noortwyk, inquiſiturus, quis primus uterum humanum gravidum, ejusque contenta, deſcripſerit, auctorum monumenta ſedulo perſcrutatus eſt, atque, concludendum eſſe, cenſuit, primum omnium uterum humanum gravidum diſſecuiſſe Maſſam, poſt hunc Columbum & Fallopium, ſed obiter tantum examinaſſe, ſi ex eorum monumentis judicare liceat; præcipuum honorem debere Arantio; utique neminem prius continentis uteri conſtitutionem docuiſſe; de contentis autem Veſalium, exploſis propriis erroribus, anno 1555. aliquid veri dicere, incepiſſe. Uteri Humani gravidi Anatom. & Hiſt. pag. 68. Inſignis autem Anatomicorum numerus eſt, qui poſtea vel prægnantem uterum, vel contenta, vel partes ſaltem nonnullas examinarunt. Enumeravit hos Hallerus, in additamentis ad H. Boerhaave methodum ſtudii medici Tom. 1. pag. 382. ſeq. Addi autem poſſunt varii, ex quibus paucos memoraſſe ſufficiat. Obſervationes, ex cadavere mulieris, ſeptem menſes gravidæ, deſumtas, inſeruit novis Commentariis Academiæ Petropolitanæ Tom. 1. pag. 337. Clar. Weitbrecht. Uteri gravidi mulieris, cum jam parturiret mortuæ, ſeptem tabulas edidit Albinus, quibus poſtea appendicem ſuperaddidit; idemque paſſim in Annotationibus Academicis de eodem argumento egit. Examinavit ſexto menſe uterum gravidum D. Monro, eaque, quæ notatu digna cenſuit, cum Societate Edinburgenſi communicavit, divulgata in Eſſays and Obſervations phyſical and litterary, read before a Socie-

minata, ut minime ſupervacaneus dici poſſit illorum labor, qui & hodie eidem operi incumbunt. Hanc ob cauſam occaſionem cadaver gravidæ ſecandi, ex improviſo anno 1775, nactus, publice cuncta, quæ ex tali corpore addiſcenda cenſui, demonſtravi, explicui. Hanc ob cauſam ut demonſtrationes omnes delinearentur curavi, nunc vero, una cum iconibus, ea,

Society in Edinburgh vol. 1. pag. 403. Addidit ſua obſervata ex cadavere gravidæ, quinto menſe mortuæ, Alex. Monro. Ibid. pag. 426. Cura & ſtudio Clar. Nic. Jenty Londini 1758. edita demonſtratio uteri prægnantis mulieris cum fœtu ad partum maturo, in tabulis ſex ad naturæ magnitudinem poſt diſſectiones depictis, & ea methodo diſpoſitis, ut hujus ſtatus gravidi amplam ob oculos ideam collocent. Eædem tabulæ Pariſiis 1759. prodierunt, forma minori, titulo, Demonſtration de la matrice d'une femme groſſe, & de ſon enfant en terme. Exhibuit etiam Jo. Georg. Roederer icones uteri humani, obſervationibus illuſtratas. Academia Naturæ Curioſorum divulgavit, quæ Croppius in cadavere fœminæ gravidæ, partui proximæ, ex hæmorrhagia uteri defunctæ, detexit. Nov. Act. vol. 1. obſ. 65. pag. 269.; quæ Reinmann in corpore gravidæ, initio noni menſis diſſecto, notanda cenſuit. Nov. Act. vol. 2. obſ. 87. pag. 348.; quæ Krugelſtein in utero gravido fœminæ hæmorrhagia uteri demortuæ, vidit Nov. Act. vol. 3. obſ. 9. pag. 45. Præprimis vero, ut aliorum labores ſilentio prætereeam, memoranda venit Anatomia Uteri humani gravidi, tabulis illuſtrata, quam Guliel. Hunter Anatomicus dexterrimus, peritiſſimus, omni laude major, cui ea contigit felicitas, ut ſæpius uterum gravidum diſſecuerit, Birminghamiæ anno 1774. in lucem emiſit, tanto utilior futura, ſi promiſſam ſæpius uteri gravidi hiſtoriam edat.

ea, quæ tunc annotavi, quæ poſtea cum aliorum obſervatis contuli, in lucem emitto. Nec diſplicebit Auditoribus, quæ ad uterum gravidum pertinent, has inter obſervationes, paucis figuris delineata conſpexiſſe, dum plurimæ, quæ exſtant, uteri gravidi tabulæ eundem extra corpus, extra naturalem proinde ſitum, ſiſtunt, aut tanto artificio paratæ ſunt, ut maximo divendantur pretio, nec quisque eas facile ſibi comparare poſſit; ex noſtris vero, parvis licet, ſed partes omnes ſic exhibentibus, ut relativus ſitus rite pateat, ea, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, addiſci commode valent.

Cadaveris, ad organa, quæ Pectoris cavum continet, demonſtranda deſtinati, vel ſola contemplatio ſtatim adſtantium attentionem figebat. Tumor enim abdominis, ſeſe ultra umbilicum extendens, æquabilis, mollis, in ſuperiore parte latior, deorſum verſus ſeſe contrahens, notabilis, licet ob ſupinum corporis ſitum non adeo rotundus, longe diverſus a tumore, quem aſcite ſimilive morbo laborans venter exhibere ſolet, graviditatis movebat ſuſpicionem, præſertim quum prope umbilicum in parte laterali ſiniſtra corpus quoddam tactu percipiebatur, reliquis abdo-

abdominis partibus durius, preſſioni tamen cedens, & loco mutabile, quod corpus fœtus eſſe videbatur.

Inciſis autem a ſcrobiculo cordis ad umbilicum, ab eo verſus latera ac inguina, integumentis, muſculis, peritonæo, reclinatisque verſus latera ac pubem harum partium lamellis (*b*), mox elegans ſeſe exhibuit ſpectaculum. Matrix (*c*), fœtu turgida, relicta pelvi, abdominis capacitatem ingreſſa, hypogaſtricam (*d*) regionem, umbilicalem (*e*), locaque inania (*f*), occupans, ab anteriore, ob ſitum cadaveris ſupinum, parum complanata, ea, quæ dictis in regionibus ſedem commodam obtinuerunt, inteſtina ſic ſurſum propulerat, ut peritonæo accumberet ipſa, tenuia vero inter uterum ventriculum & hepar conſpicerentur (*g*), ſeſe tum a dextro (*h*), tum a ſiniſtro (*i*) latere demittentia, partem ſuperiorem uteri integentia, ac per tenue, & vix ulla pinguedine refertum, omentum tranſparentia. Craſſorum inteſtinorum ne minima pars oculis ſeſe offerebat, niſi

(*b*) Tab. I. a. a. a. a. a.
(*c*) Tab. I. b. c. d. d.
(*d*) Tab. I. b.
(*e*) Tab. I. c.
(*f*) Tab. I. d. d.
(*g*) Tab. I. e. e.
(*h*) Tab. I. f.
(*i*) Tab. I. g.

niſi remoto parum verſus ſiniſtrum latus utero; tunc enim cœcum, tenuibus etiam tectum, adparebat, & hinc enatum colon; quod primo adſcendens, deinde transverſum per abdomen ſub hepate atque ventriculo, ſed pone tenuia, decurrens, in latere ſiniſtro deſcendens, denique in rectum deſinebat (*k*). Ventriculi parva portio (*l*) ſub hepatis lobo ſiniſtro (*m*), pro parte etiam ſub dextro (*n*), emergebat. Inteſtina non tantum nulla inter peritonæum atque uterum inveniebantur, ſed de ligamentis, tubis, ovariis, etiam omnino nihil adparebat. Sublata vero parumper & ſiniſtrorſum mota matrice, tubæ, duos pollices cum dimidio a ſuperiore uteri parte diſtantes, ovarium dextri lateris inſigne (*o*), variis foveis, cicatriculis quaſi, notatum (*p*), lato ligamento nexum, parum compreſſum, ferme ſesquipollicem longum, pollicem latum, conſpiciebantur. Ejusdem naturæ erat ovarium ſiniſtrum (*q*), paulo minus, pollicem quippe longitudine vix, latitudine parum, ſuperans, dimoto verſus dextrum latus ute-

(*k*) Tab. IV. Fig. 2. e. f.
(*l*) Tab. I. h.
(*m*) Tab. I. i.
(*n*) Tab. I. k.
(*o*) Tab. V. Fig. 4.
(*p*) Tab. V. Fig. 4. b. b. b. c. c. c.
(*q*) Tab. V. Fig. 5. a. a. b. b. b. c. c. c.

utero, ſeſe manifeſtans. Dextro ligamento lato ovalis veſicula, pellucido humore plena, hydatis, filamenti ope adhærebat (*r*).

Uteri corpus, tunicâ, quam a peritonæo habet (*s*), glabrâ, politâ, tectum, ubique æquabiliter prominebat. Digitis tamen parumper compreſſum, in parte ſuperiori & laterali ſiniſtra (*t*), fœtus partes tactui offerebat, dorſum nempe, atque natem dextram, ut inſtitutâ poſtea ſectio probavit (*u*).

Sublata anteriore ſolius uteri parte, integerrimum ovum (*v*), filamentoſa ipſius membrana (*w*), placenta (*x*), uteri ſpongioſa fabrica (*y*) apparebant.

Erat

(*r*) Tales genitalibus majori minorive numero appenſas, a longiori vel breviori filo dependentes, veſiculas, ſæpius conſpexi. Frequentem circa hæc loca hydatidum proventum notarunt etiam Swammerdam Mirac. natur. Tab. 3. e. Kerkring Spicil. obſervat. Anatom. pag. 28. Noortwyk uteri hum. grav. anat. pag. 7. 72. Denys Verhandel. over het ampt der Vroedmeeſters pag. 62. Haller de nupera diſſectione fœminæ gravidæ Oper. Minor. Tom. 1. pag. 42. P. A. Boehmer Obſervat. Anatom. rarior. faſc. 1. Tab. 2. fig. 1. p.

(*s*) Conf. Obſervat. noſtr. lib. 1. cap. 3. pag. 56.

(*t*) Tab. I. inter c. & d.

(*u*) Tab. II. Fig. 1. 2. e. f. Tab. III. Fig. 1. 2.

(*v*) Tab. II. Fig. 1. c. c. d. h. i. i. i.

(*w*) Tab. II. Fig. 1. b. b. c. c.

(*x*) Tab. II. Fig. 1. h. i. i. i.

(*y*) Tab. II. Fig. 1. 2. a. a. a. Tab. V. Fig. 1. 2. 3.

Erat placenta anteriori ſegmento uteri adnexa (*z*), ſic ut magnam hujus partem occuparet, tuberculisque ſuis (*a*) uteri ſubſtantiam quaſi intraret, aut hæc illa amplecteretur, ſic autem ut ſeparatio facilis esſet. Vaſa tamen quædam lacerari videbantur, & hæc, poſtea etiam in exteriore placentæ parte conſpicua, filamentoſam referebant membranam. Magna pariter horum filamentorum copia inter uterum & reliquam ovi partem aderat, ſic ut tota externa ipſius ſuperficies in talia videretur abire, & non immerito externum ovi velamentum filamentoſum dicatur.

Uteri interna ſuperficies, in ſegmento anteriori jam ablato, non ubique erat eadem. Ubi placenta adhæſerat, foramina aderant majora, minora, ſinus quaſi, in quos vaſa, plura, pauciora, magis minusve capacia, ſuis oſtiis patebant (*b*), quæ foramina tubercula placentæ (*c*) obturaverant, adeoque in ſeparatione tum demum ſeſe offerebant, quando tuberculum ex ſuo ſinu ſolvebatur; ubi vero ipſa ovi velamenta adnexa fuerant, ſuperficies æquabilis, villoſa tamen, erat, non vero talibus foraminibus pertuſa (*d*). Cras-

(*z*) Tab. II. Fig. 1. h.
(*a*) Tab. II. Fig. 1. i. i. i.
(*b*) Tab. V. Fig. 2. e. e. f.
(*c*) Tab. II. Fig. 1. i. i. i.
(*d*) Tab. V. Fig. 1. c. Fig. 3. d.

Craſſities uteri in parte inferiore, quæ placentam admiſerat, quatuor lineas æquabat (*e*), in parte ſuperiore, ad quam placenta ſeſe non extenderat, unicam lineam vix ſuperabat (*f*). Subſtantia ipſa non compacta, ſed mollis, rara, fungoſa, ſpongioſa, pertuſa erat foraminibus majoribus, minoribus, rotundulis, ovatis (*g*), totidem diſciſſorum vaſorum, venarum, arteriarum, orificiis; horum autem numerus major, capacitas amplior erat in parte inferiore (*h*), quam in ſuperiore (*i*).

Separata ovi filamentoſa membrana, liberato, una cum hacce ab amnio intimo ovi velamento, chorio, quæ membrana in filamentoſam quaſi deſinit, ac procrescit (*k*); partes nonnullæ fœtus, liquore cinctæ, per amnion transparentes, cernebantur, dorſum, natis dextra cum ſuo femore, & ex fundo quaſi adſurgens, plantâque ovo appreſſus, pes ſiniſter (*l*).

Examinatus amnii liquor colorem exhibuit flavum, &, cum liquidis diverſæ naturæ commiſtus,

(*e*) Tab. V. Fig. 2. a b. a b.
(*f*) Tab. V. Fig. 3. a b. a b.
(*g*) Tab. V. Fig. 1. inter a. & b. 2. c. c. c. 3. c. c.
(*h*) Tab. V. Fig. 1. 2.
(*i*) Tab. V. Fig. 3.
(*k*) Tab. II. Fig. 1. b. b. c. c.
(*l*) Tab. II. Fig. 1. e. f. g.

ſtus, mutationes ſubiit varias. Adfuſo liquore nucum gallarum mox nubecula alba enata eſt, fundum petens, tum vero in caſeoſam, grumoſam, abiit ſubſtantiam, non in filamenta. Addito ſpiritu nitri nubecula producta eſt, fundum petens, ſed nulli grumi, nulla filamenta ſeſe oſtenderunt. Quum alcohol ipſi admiscebatur, nubecula alba apparuit, ſupernatans, ſaltem non multum ſeſe a ſuperficie ſeparans; nulli vero aderant grumi. Commoto bacilli ope liquore diſparebat nubecula, & liquor, antea flavi coloris, albescebat. Cum liquore tartari, ſpiritu vitrioli, ſyrupo violarum, nullam ſubiit mutationem, nullam etiam addito alumine crudo. Coctus exhibuit primo ſpumam albam, dein grumos caſeoſos.

Aperta intima ovi membrana, amnio, tali pacto, ut placenta deorſum & ſiniſtrorſum una cum dicto velamento reclinari potuerit, ſitum infantis conſpicere licuit (*m*). Reclinari autem pro parte tantum valuit placenta (*n*), quippe, anteriori licet ſegmento uteri antea adhærens, ſeſe ad orificium colli internum extendebat, illud tamen non occludens, adeoque

(*m*) Tab. II. Fig. 2. (*n*) Tab. II. Fig. 2. c. d. d.

que pone inferiorem ſegmenti hujus partem, reliquo utero adhuc nexam, deliteſcebat. Situs fœtus talis erat, ut, ſiniſtro lateri incumbens, capite, nondum ſeſe manifeſtante, inferiora ſpectaret; artus itaque inferior dexter, totus (*o*), pedis ſiniſtri planta (*p*), ejusdemque lateris manus (*q*) cernebantur. Inter manum & crus dextrum umbilicalis funis (*r*), ex abdomine enatus, ad placentam tendens (*s*), & multis ramis ſeſe per illam diſtribuens (*t*), emergebat.

Caput itaque fœtus, multum deſcendens, pone veſicam urinariam deliteſcens, hanc oſſibus pubis apprimebat. Serræ ope ſublatis hisce oſſibus (*u*), urinæ receptaculum, parvam lotii quantitatem continens (*v*), ante peritonæum, celluloſa membrana coöpertum, talem exhibuit ſitum, ut de capite fœtus vix quicquam oculis ſeſe obtulerit (*w*). Remoto autem lotii receptaculo, ſublata ad collum usque (*x*) ſegmenti anterioris uteri illa parte, quæ, pone oſſa pubis

(*o*) Tab. II. Fig. 2. f. g. h. i.
(*p*) Tab. II. Fig. 2. k.
(*q*) Tab. II. Fig. 2. l.
(*r*) Tab. II. Fig. 2. m.
(*s*) Tab. II. Fig. 2. n.
(*t*) Tab. II. Fig. 2. o. o. o.
(*u*) Tab. III. Fig. 1. a. a. b. b.
(*v*) Tab. III. Fig. 1. e.
(*w*) Tab. III. Fig. 1. k.
(*x*) Tab. III. Fig. 2. a. a.

pubis & veſicam latens, in prima ſectione (*y*) tolli non valuit, capitis lateralis ſitus egregie patuit, frons quippe verſus dextrum, occiput verſus ſiniſtrum latus (*z*), aurisque dextra (*a*) verſus anteriora dirigebantur.

Uteri orificium (*b*), reflexis vaginæ parietibus (*c*), conſpicuum, muco tenaci, albo, in fila protractili (*d*), clauſum, & verſus poſteriorem vaginæ partem directum, ſubjecto tubo attolli, ac verſus anteriora promoveri debuit, ut labia ipſius, mucusque, illa occludens, & ultra orificium prominens, in oculos incurrerent.

Capacitas ipſa uteri, ſublato infante, examinata, æquabiliſſima, glaberrima erat, velamentis nempe ovi adhuc tecta (*e*). Hæc abſque difficultate & ab invicem, & ab utero ſeparabantur; quo facto, interna matricis ſuperficies villoſa, flocculenta quaſi, erat. Orificium colli internum eodem muco, a parte uteri ſimiliter prominente, erat oppletum; collum ſesqui-pollicem longum, in parte poſteriore, ſublato muco, ſuperficiem rugoſam, arbusculæ ramos quaſi repræſentantem (*f*), anteriorem æquabiliorem mon-

(*y*) Tab. II. Fig. 1.
(*z*) Tab. III. Fig. 2. e. f.
(*a*) Tab. III. Fig. 2. inter f. e.
(*b*) Tab. III. Fig. 2. c.
(*c*) Tab. III. Fig. 2. b. b.
(*d*) Tab. III. Fig. 2. d.
(*e*) Tab. IV. Fig. 1. b.
(*f*) Tab. V. Fig. 1. e. e. e. e.

monſtrabat. Non tantum hic loci rugæ, ſeu eminentiæ aderant, ſed inter illas etiam parva foramina (*g*). Vagina, quæ labium anterius ferme adtingebat, ultra poſterius ad inſignem altitudinem adſcendebat (*h*).

Reclinato denique verſus femora utero, hujus poſterior ſuperficies, æquabilis (*i*), tubæ, ligamenta (*k*), ovaria (*l*), pelvisque capacitas (*m*) luſtrari commode valuerunt, inteſtinis eadem in ſede, ad quam, naturalem ſitum adhuc occupante & fœtu extenſa matrice, adſcendere debuerunt, retentis. Juxta pelvis oram vaſa, ad artus inferiores tendentia, muſculi, partes aliæ peritonæo tectæ, decurrebant. Intra pelvim præter inteſtinum rectum (*n*), ſub tenuibus, craſſa omnia penitus integentibus, in latere ſiniſtro emergens, oblique pone uterum verſus anum decurrens, nihil omnino conſpiciebatur.

Fœtus, potioris ſexus, bene conformatus, omnes artus perfectos exhibens, longitudinem tredecim pollicum habuit, pondere libras circiter duas æquavit.

Pla-

(*g*) Tab. V. Fig. 1. f. f. f.
(*h*) Tab. V. Fig. 1. h. g. g. h.
(*i*) Tab. IV. Fig. 2. a.
(*k*) Tab. IV. Fig. 2. b. b.
(*l*) Tab. IV. Fig. 2. c. c.
(*m*) Tab. IV. Fig. 2. g.
(*n*) Tab. IV. Fig. 2. e. f.

Placenta, ſeorſim examinata, ſex cum dimidio pollices longa, quinque lata, funem, quindecim cum dimidio pollices longum, non medio admittebat centro, verum ſic, ut unum latus alterum longitudine multum excederet. Sic autem poſita fuerat placenta, ut longitudine ſua ab uno matricis latere verſus alterum ſeſe extenderet, latitudine ſua a ſuperiore parte ſeu fundo ferme ad orificium pertingeret. Pondus ſolius placentæ erat quinque unciarum cum dimidia.

Oſſa pubis, ſectis ligamentis, quæ poſteriorem ipſorum partem vinciunt (*n. n*), commode ſeparari ab invicem potuere (*o*), illæſis cartilaginibus, quæ contigua hæcce oſſa hoc in loco inveſtiunt. Cartilaginum altera gibba (*p*), altera parum excavata erat (*q*), ambæ vero admodum æquabiles, nullaque ſubſtantia intermedia nexæ.

Multa in enarrato caſu eſſe, quæ attendi merentur, & cum aliorum obſervatis conferri, concedent omnes, qui vel ipſi manum tali ſectioni admoverunt, vel deſcriptas ab aliis gravidarum diſſectiones per-

(*n.n*) Tab. V. Fig. 6. c. c. c. c.
(*o*) Tab. V. Fig. 6. a. a.
(*p*) Tab. V. Fig. 6. d.
(*q*) Tab. V. Fig. 6. e.

perlegerunt. Pertinet huc Situs & figura uteri, Sedes & nexus placentæ, Numerus membranarum, ovum formantium, Liquoris animi natura, Situs infantis, Craſſities uteri, Pelvis dilatatio. Verum antequam ea, quæ his de articulis notanda veniunt, communicantur, neceſſe videtur, ad quæſtionem, quam ſine dubio movebunt omnes, reſpondere.

Differunt ea, quæ in gravido utero obſervantur, pro vario graviditatis tempore, quæſtio itaque ſuboritur, quemnam graviditatis menſem attigerit fœmina, cujus cadaver ſecui, cujus gravidum uterum deſcripſi, depinxi? Difficilis ſane reſponſio, ſi vera ſi juſta eſſe debeat. Nihil enim de prægreſſis, nihil de ſtatu ſano aut morboſo, reſcire valui, adeoque tantummodo ex iis, quæ anatomica ſectio exhibuit, concluſio quædam formanda erit; hanc autem fallere poſſe, aſſentient omnes, qui norunt, quam difficile ſæpe gravidis, hac in re jam expertis, obſtetricantibus, quotidie manum operi admoventibus, ſit, exacte graviditatis tempus determinare (*r*). Si verum ſexto menſe inter os pubis &

(*r*) Conf. Roederer de temporum in graviditate & partu æſtimatione Opuſc. Medic. vol. 1. p. 31. & G. W. Stein beſchreibung eines baromacrometers, und cephalometers. Caſſel 1775.

& umbilicum uterus adſcendit, ſeptimo ad umbilicum, octavo ad medium inter umbilicum & ſcrobiculum cordis locum, pertingit, nono usque ad hunc ſcorbiculum integumenta expandit (*s*); ſi animadvertimus, ultra umbilicum pertigiſſe uterum in decumbente cadavere, qui in vivente gravida, erecto trunco, ſine dubio ferme ad umbilicum pertigit, non improbabilis videtur conjectura, ſeptimum menſem fuiſſe inchoatum, præſertim ſi ea, quæ hoc in corpore ſeſe obtulerunt, comparantur cum iis, quæ alii ſexto graviditatis menſe, & initio ſeptimi, viderunt.

In fœmina, quæ ſextum ferme graviditatis menſem abſolverat, uterus jam ad tantam adſcenderat altitudinem, ut inferius ventriculi planum fundo incumberet, & hepar, ad pollicem cum dimidio infra hypochondrium dextrum deſcendens, utero ita immineret, ut apex uteri dexter veſiculam felleam tangeret, licet in ſiniſtro latere ad tantam altitudinem non adſcenderet (*t*). Embryo tali collocabatur modo, ut curvatura dorſi legeret latus dextrum, occiput

(*s*) Roederer elem. art. obſtet. pag. 74. 75. §. 161. Smellie a treatiſe on the theory and practice of midwifery vol. 1. pag. 118. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 407.

(*t*) Roederer icones uteri gravidi pag. 12. not. 1. tab. 4.

put modice obliquum verſus latus dextrum orificio opponeretur; auris ſiniſtra ad parietem anteriorem, dextra ad poſteriorem dirigeretur; anterius eſſet femur ſiniſtrum, poſterius dextrum, dum artus & ſuperiores & inferiores talem habebant poſitionem, ut cavo ſeſe accommodarent optime (*u*). Longitudo embryonis erat quindecim pollicum cum dimidio, pondus duas libras & quartam libræ partem æquabat (*v*). Nec multum a noſtra differt cervicis delineatio, & quoad figuram & quoad conformationem internam (*w*).

In cadavere gravidæ, quod ſecuit Don. Monro, uterus, licet inteſtinis tectus, & peritonæum ea propter non contingens, ad eandem, ac in noſtro caſu, adſcenderat altitudinem, licet vix ultra ſex menſes graviditas fuerat progreſſa (*x*); fœtus capite deorſum, facieque retrorſum erat directus (*y*); longitudo fœtus erat decem pollicum cum dimidio (*z*); magna

(*u*) Id. ibid. pag. 20. n. 2. tab. 5.

(*v*) Id. ibid. pag. 20. n. 3.

(*w*) Id. ibid. tab. 6. fig. 6. pag. 29. n. 1. 2. pag. 30.

(*x*) Eſſays and Obſervations phyſical and litterary. vol. 1. pag. 405. tab. 4.

(*y*) Ibid. tab. 5. fig. 1.

(*z*) Ibid. tab. 7. fig. 6.

magna cervicis uterini pars vix ac ne vix quidem erat diſtenta (*a*), ſed craſſo muco plena.

Examinavit mulieris, ſeptem menſes prægnantis, cadaver Weitbrecht (*b*). Abdomen, dum reſupinatum jacebat cadaver, ab umbilici regione ad pubem usque omnino protuberabat (*c*); uterus, peritonæo immediate tactus & tectus, occupabat omnem cavitatem abdominis ab umbilico ad os pubis & pelvim ipſam, cujus latera exacte claudebat (*d*). Uteri cavi longitudo erat ultra octo pollices, latitudo maxima ſeptem. Osculum cervicis internum, vix piſum admittens, occluſum erat muco quodam albicante, pellucido, ſumme glutinoſo, & tenaci, qui intra ipſam uteri cavitatem paulum exturgescebat, idemque mucus protuberabat ex osculo externo. Erat tanta ejus copia, ut ob inſignem glutinoſitatem ad pollices multos absque ruptura extraheretur. Aperta cervice diſtantia ab uno osculo ad alterum pollicem circiter æquabat; craſſitudo parietum, ſolidiorum quam uteri parietes, quatuor lineas excedebat. Per mucum trans-

(*a*) Ibid. pag. 411. tab. 5. fig. 3.
(*b*) Nov. Comment. Acad. Petropol. vol. 1. pag. 337.
(*c*) Ibid. pag. 337.
(*d*) Ibid. pag. 338.

transparebant elegantiſſimæ rugæ, quæ nihil aliud erant, niſi membranæ tenues, variæ latitudinis, quæ, altero ſuo margine parieti cervicis innatæ, altero liberæ, fluctuabant, & ad quas rugæ laterales tendebant. Inter omnes has membranulas profundæ dabantur lacunæ (*e*). De fœtu non loquitur.

Hasce Roedereri, Monronis, Weitbrechti obſervationes ſi quis cum noſtra comparat, concedet facile, ſeptimum jam attigiſſe graviditatis menſem fœminam, cultro a nobis ſubjectam. Hallerus quidem, quinto menſe dimidiam cervicem jam diſtentam esſe, ſexto ejus tubum cum uteri tubo confundi, nono menſe cervicem integram, ut omnino oſtium ejus uterinum cum oſtio, ad vaginam pertinente, confundatur, nullamque tunc cervicis longitudinem ſupereſſe, innuit (*f*), ſed mox ſuperaddit (*g*), non tamen certos eſſe hosce menſes, dum in Weitbrechti & Rœdereri fœminis, de quibus jam mentionem feci, licet ſeptimum graviditatis menſem ingreſſis, cervix integra ſupererat; ipſe vero in cadavere fœminæ, ſex menſes gravidæ, cervicem ſuperſtitem vidit.

(*e*) Ibid. pag. 345. 346.
(*f*) Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 409.
(*g*) Ibid. pag. 410.

dit. Differentia, procul dubio, hac in re maxima eſſe debet, prout vel prima vice gravida fœmina, vel plures jam infantes enixa eſt, prout corpus vel ſtrictum vel laxum exiſtit; & hac de cauſa in laxioris habitus gravida, quæ quatuor pepererat infantes, quinto menſe Alex. Monro majorem cervicis diſtenſionem vidit, quam frater ipſius Don. Monro ſexto menſe (*h*).

Situs uteri hoc in corpore talis erat, ut nudo accumberet peritonæo, & nullæ omnino partes eſſent intermediæ. Tali modo uteri gravidi ſitum deſcripſerunt, depinxerunt, multi.

In gravida, de qua mentionem fecit Rœderer (*i*), omnis inteſtinorum tenuium apparatus, juxta & ſuper utero, ſiniſtrum abdominis cavum replebat, inclinato tantopere ad dextram abdominis regionem utero, ut duæ fere tertiæ partes eodem pertinerent, una ad ſiniſtram: deſcendebat ſiniſtrum colon, & maxima omenti portio verſus latus ſiniſtrum dirigebatur; ad dextrum uteri latus inteſtinum cœcum & coli

(*h*) Eſſays and Obſervat. Phyſic. and Litter. vol. I. pag. 426. 427.

(*i*) Icon. uteri grav. pag. 12. n. 1.

coli dextri initium locabantur, ipſa tamen fere tota utero, quo contegebantur, poſteriora. Vermiformis appendix pone uterum latebat. Transverſum colon poſtremo in loco, partim pone ventriculum, cujus inferius planum fundo uteri incumbebat, partim pone uterum ſe corripiebat, quorſum etiam in loco inferiori ſeſe recipiebant inteſtinorum tenuium, colique ſiniſtri, finis, & initium inteſtini recti. Ad pollicem cum dimidio infra hypochondrium dextrum deſcendens hepar utero ita imminebat, ut apex uteri dexter veſiculam felleam, qua parum tingebatur, tangeret. Anteriori uteri ſuperficiei ſine medio peritonæum inhærebat. Modice ſupra oſſa pubis presſa utero veſica adſcendebat. Similem ſitum aliis in caſibus idem ſæpius obſervavit.

Deſcripſit tres ſectiones gravidarum Denys (*k*), atque in omnibus uterum peritonæo accumbentem conſpexit; in prima, ſex menſes gravida, ſurſum maxime propulſa inteſtina, pro parte etiam a latere, ſeſe offerebant (*l*), fœtus capite ſuo verſus inferiora erat directus, latere dextro verſus dorſum

(*k*) Verhandel. over het ampt en de pligt der Vroedmeeſters pag. 53.

(*l*) Ibid. pag. 54.

ſum matris, ſed ante caput brachium erat dextrum; in altera, ſeptem menſes gravida, inter matricem atque peritonæum nullæ omnino partes conſpiciebantur (*m*); in tertia, quæ graviditatis terminum adtigerat, idem omnino locum habuit (*n*), hæc hæmorrhagia uteri perierat; placenta lateri dextro adhærebat, & pro parte orificium uteri intrabat.

Nudus etiam uterus ſeſe exhibuit Weitbrechto (*o*), Alex. Monroni (*p*), a peritonæo immediate tactus & tectus; & in gravida, quam ſecuit Reinmann (*q*), diſſectis integumentis ſtatim in conſpectum venit uterus, formam veſicæ bovinæ repletæ referens; inteſtinis ſurſum & ad latera repreſſis, ſic ut videri non poſſent. Figuræ etiam, quas Caſſerius (*r*), Bidloo (*s*), Smellie (*ss*), Jenty (*t*), Hunter (*u*), aliique dederunt, ſimilem omnino partium ſitum exhibent. Sub-

(*m*) Ibid. pag. 58.
(*n*) Ibid. pag. 62.
(*o*) Nov. Comment. Acad. Petropol. vol. 1. pag. 337. 338.
(*p*) Eſſays and Obſervat. Phyſic. and Litter. vol. 1. pag. 426.
(*q*) Nov. Act. Acad. Nat. cur. vol. 2. obſ. 88. pag. 350.
(*r*) Tab. prim. adj. Spigelii tract. de formato fœtu.
(*s*) Anatom. corp. hum. Tab. 54.
(*ss*) Smellie Ontleedk. Afbeeld. pl. 7.
(*t*) Demonſtr. de la matrice d'une femme groſſe. Tab. 2.
(*u*) Anatom. uteri human. grav. Tab. 1. &c.

Subinde tamen rem aliter ſeſe habere, probat, a Don. Monrone diſſectum, cadaver. Dum etenim abdomen erat apertum, uterus in conſpectum non veniebat, ſed inteſtina, ad oſſa pubis usque deſcendentia, matricem tali tegebant modo, ut, illam fœtu gravidam eſſe, negaſſent omnes, niſi, ſublatis inteſtinis, turgida admodum apparuiſſet (*v*). Non tamen obſtat hæc obſervatio, quominus ſtatuamus, plerumque adſcendentem octava hebdomade, aut paulo prius ſeriusve, ex pelvi, qua contineri amplius nequit, uterum (*w*), inteſtina cum omento ſic ſurſum repellere, ut nudo accumbat peritonæo. Docet hoc abdominis exploratio, in vivente gravida; probat ſectio cæſarea; confirmat preſſionis aliusve externæ injuriæ effectus. Si enim obſtetricans, poſt tertium menſem, abdomini palmam transverſam imponit, auricularem digitum verſus os pubis extendit, pollicem ex adverſum, ſi valida reſpiratione fœmina abdomen concutit, ipſe vero ſub exſpirationis niſu idem leniter imprimit, duram, globoſam,

(*v*) Eſſays and Obſervat. Phyſic. and Litter. vol. 1. pag. 404. In adjecta tabula quarta ſitum inteſtinorum, qualem deſcribit, non depinxit, ſed uteri poſitum, ſublatis inteſtinis, monſtravit.

(*w*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 407.

boſam, atque ſuper oſſa pubis hærentem, reſiſtentiam tangere, & de utero tumido certus eſſe poteſt, præſertim ſi poſtea membris ſuis ad habitaculi parietes allidit fœtus, & alia graviditatis ſigna adſunt (*x*). Sectis in regione hypogaſtrica partibus abdominis externis, aperta hoc in loco matrice, partu per naturalem viam quacunque de cauſa impedito, fœtum extrahi poſſe, plurima probarunt experimenta (*y*); &, quo propior integumentis embryo eſt, eo minus ab externa injuria tutum illum eſſe, ratio docet. Merito itaque ictus, concuſſiones, lapſus, motus corporis violentiores, inter abortus cauſſas referunt (*z*), abdominis conſtrictionem vituperant (*a*), illamque inter cauſas monſtrorum accidentales ponunt (*b*). Docet enim expe-

(*x*) Roederer Elem. art. obſtetr. pag. 69. 70. 72.

(*y*) Rouſſetus, operationem cæſaream deſcribens, merito monet, peritonæum caute eſſe ſecandum, quia ſub eo, nullis corporibus intermediis, prætumida matrix jacet, ſubjecta ſibi inteſtina contegens. Conf. Partus cæſarei aſſertio hiſtoriologica. Pariſiis 1590. p. 444. Simon in Memoir. de l'Acad. de Chir. vol. 1. pag. 623. vol. 2. pag. 308.

(*z*) De la Motte Traité des accouchemens liv. 2. obſ. 138. 139. pag. 205.

(*a*) Conf. Platneri Diſſ. de thoracibus §. 3. Opuſc. vol. 1. pag. 98. 99. 100. Clar. van Doeveren primæ lineæ de cognoſc. & cur. mulierum morbis §. 39. pag. 17.

(*b*) Licetus de monſtrorum cauſis, natura & differentiis lib. 2. pag. 68. Huber Obſervat. & cogit. de monſtris pag. 16. Chriſtell de partu

experientia, ex dictis cauſis ſæpiſſime abortum produci; docet, fœminas, quæ formæ atque muliebri venuſtati magis, quam proli conſervandæ, ſtudent, atque intumescentem ventrem, &, quod jam ſurgentis uteri mole anguſtum eſt, pectus, valentius, & ſæpe immaniter conſtringunt, tandem miſeram prolem ante legitimum partus tempus, infeliciter eliſdere, aut difformes infantes in lucem emittere (*c*).

Adſurgens uterus non tantum viscera, anteriorem abdominis partem occupantia, ſurſum urget, ſed & ea, quæ extra graviditatem pelvim occupant, & ſacro oſſi atque lumbis accumbunt. In pelvis capacitate tamdiu ſeſe extendit, donec omnem ipſius ambitum adtingat, urget itaque tenuia ſurſum, nudo ferme accumbit oſſi ſacro, præter craſſorum inteſtinorum

tu gemellorum coalitorum pag. 67. 68. Grashuis Acta Acad. Nat. cur. vol. 8. obſ. 81. pag. 289. 290. Haller de monſtris Oper. min. vol. 3. pag. 132, qui varios auctores, huic opinioni faventes, excitat.

(*c*) Scharſius difformen ex hac cauſa fœtum deſcribit, additque, matrem, clanculum ſtupratam & imprægnatam, veſtimenta tam arcte conſtrinxiſſe, ut nemo fuerit, qui, ob arctiſſimam corporis compresſionem, ingravidationem ſentire potuiſſet. Eph. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 2. obſ. 102. pag. 254. Cosme d'Argenville tumorem in umbilico, inteſtinorum, hepatis, cordis præternaturalem ſitum, ex tali cauſa deſcripſit. Mercure de France 1768. pag. 166. Conferatur etiam obſervatio, quam Act. Helvet. vol. 7. pag. 57. inſerui.

norum finem, nihil omnino datur intermedium (*d*); imo ſubinde os ſacrum veſtigium ſui utero inprimit (*e*); hic vero in vaſa juxta marginem pelvis decurrentia tali agit modo, ut ſanguinis liberum reditum, urinæ deſcenſum, impediat (*f*).

Non ſemper in utroque latere ad eandem altitudinem adſurgit, ut in noſtro caſu locum habuit (*g*), ſed ſunt, qui ſtatuunt, gravidum uterum dextrum abdominis cavum, inteſtina ſiniſtrum, occupare. Locum hoc habuit in cadavere, cujus ſectionem inſtituit Roederer (*h*), & in fœminis vivis idem frequentiſſimam obſervationem probare, dicit (*i*), adfirmans, in exploratione ventris ſæpius duriorem, tumentiorem, elatiorem percipi ſedem abdominis dextram, molliorem, minus tumentem, minus elevatam ſiniſtram; illuc etiam gravidas frequentiorem embryonum agitationem referre, quin ponderis quamdam

(*d*) Weitbrecht Nov. Comment. Acad. Petropol. vol. 1. pag. 338. Denys Verhandel. over het ampt der Vroedmeeſters pag. 63. Conf. Tab. IV. Fig. 2.

(*e*) Denys lib. cit. pag. 63.

(*f*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 408.

(*g*) Conf. Tab. I. II. III. IV. Fig. 1.

(*h*) Icon. uteri gravidi Tab. 4. pag. 12.

(*i*) Ibid. pag. 13. n. 1.

dam moleſtiam ſe ibidem ſentire inde a facta conceptione per omnem graviditatem conqueri. Aſſentit Clar. Wrisberg (*k*). Sunt autem varia, quæ, quominus, hoc ſemper ſeſe tali modo habere, quis ſtatuat, impediunt. Neque cadaverum ſectiones (*l*), neque abdominis vivente gravida exploratio, hoc confir-

(*k*) In annotat. ad Rœdereri Elem. art. obſtetr. pag. 70. Uterus, cujus figuram dedit Monro, Eſſays and Obſervat. vol. 1. Tab. 5. fig. 1. in latere dextro magis adſurgit, verum in binis aliis caſibus, ſeptimo & quarto menſe, globoſam magis uteri figuram vidit. Ibid. pag. 413.

(*l*) Adducit Roederer Hallerum atque Weitbrechtum, verum ſi evolvamus, quid Clariſſimi hi viri dicunt, non adeo ipſius opinioni favere videntur. Deſcribit Weitbrecht Comment. Acad. Petropol. Tom. 4. pag. 263. uterum conſtitutionis naturalis, qualis in non prægnantibus eſſe ſolet, non in medio inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum, ſed ad latus dextrum deflectentem, ita ut ligamentum, quod latum dicitur, hoc ipſum inteſtinum ſuperſcanderet, & tanquam velamen obtegeret. Hallerus autem Hiſt. nuperæ diſſect. fœminæ gravidæ §. 1. n. a. Diſput. Anatom. Tom. 5. pag. 283. Oper. minor. vol. 1. pag. 41., in fœmina, dicit, quinto menſe gravida, uterus viſus eſt, replere dimidium abdomen, inclinatus dextrorſum, ut, in dextro latere nullum ſpatium reliquum faceret, cum in ſiniſtro colon inteſtinum nudum eſſet. Conſtat inde, & extra graviditatem (Vid. harum obſervat. lib. 1. cap. 8. pag. 106. & lib. hujus cap. 2.) & in graviditate, naturalem uteri ſitum in præternaturalem, in obliquum, poſſe mutari, non vero, plerumque ſeu ferme ſemper verſus latus dextrum dirigi. In gravida, cujus delineationem dedit Jenty, inteſtina tenuia latus dextrum occupant. Demonſtr. de la matrice d'une femme groſſe tab. 2. B. B. B.

firmare videntur; & quis Monroni (*m*) non aſſentiet, placentæ fœtusque ſitum in forma uteri externa magnam producere varietatem. Roederer ipſe innuit (*n*), quo in latere uteri fœtus collocatur, ipſum etiam uteri fundum, a fœtu magis expanſum, in apicem adſcendere, unde ſequitur, ſi ſitus fœtus plane oppoſitus eſt illi, quem vidit Roederer (*o*), non in dextro, ſed in ſiniſtro latere, uterum magis adſurgere debere.

Figura itaque uteri gravidi in genere ovata dici debet, latitudinem maximam in parte ſuperiori habens, ſeſeque verſus orificium contrahens. Differt hæc vero maximopere, prout vel amnii liquore expanſa, vel eo vacua, matrix eſt. Effuſo hoc liquore, ſeſe circa partes fœtus contrahit, variasque inæquabiles eminentias monſtrat, totidem prominentes fœtus partes (*p*). Differt, prout, vel in corpore adhuc latens, vel eodem exemta, examinatur. Hinc non immerito dixit Monro (*q*); Vaterum & Albi-

(*m*) Eſſays and Obſervat. phyſic. and litter. vol. I. pag. 416.
(*n*) Icon. uteri grav. pag. 13. n. 2.
(*o*) Ibid. Tab. 4.
(*p*) Ibid. Tab. I. A. B. C. D. E. F. pag. I. n. I.
(*q*) Eſſays and Obſervat. &c. Tom. I. pag. 413.

Albinum uterum ovalem, Noortwyck parte ſuperiore parum compreſſum, delineaſſe, verum, quum tres hi clariſſimi viri icones ſuas pararunt ad uteros corpore exemtos, ex illis veram figuram cognosci non poſſe, dum uterus, corpore exemtus, diverſam aſſumit figuram pro diverſo, quo collocatur, modo.

Mutatur quidem in genere totius uteri figura, ſed præſertim ſeſe extendit fundus, hinc tubæ alium longe acquirunt ſitum, quam extra graviditatem habebant. In utero non gravido ex ſuperioribus & lateralibus partibus prodeunt, in noſtra gravida, cujus uterus, ab apice ad orificium cervicis internum ſeu principium colli, novem pollicum longitudinem parum ſuperabat, ad diſtantiam duorum pollicum a parte ſuperiori ſeſe monſtrabant. In fœminæ cadavere, quod octavo graviditatis menſe ſecuit Littre, ligamenta ex parte laterali uteri, ad diſtantiam duorum pollicum a fundo, etiam enascebantur (*r*). In figuris Albinianis tota tertia parte longitudinis inferior fundo eſt tubarum origo (*s*). In icone Roedereri in latere dextro 1. poll. 8. lin. a fundo diſtat, in

(*r*) Memoir. de l'Acad. R. des Sciences an. 1701. pag. 295.
(*s*) Tab. Uteri gravidi prim.

in ſiniſtro 3. poll. fundo inferior eſt, ſed uterus jam erat ad partes fœtus contractus, effluxo liquore amnii (*t*); in utero ſex menſes fœto, undecim cum dimidio pollices longo, utriusque tubæ ab apice origo diſtabat 1. poll. & 9. lin. (*u*). In ſimili utero ad notabilem a fundo diſtantiam tubas ortas vidit Monro (*v*). Ex medio ferme uteri in utroque latere ligamenta lata & rotunda, craſſitudine inſignia, conſpexit Reinmann (*w*). In aliis iterum caſibus aliter res ſeſe exhibuit, &, quominus certi quid determinari queat, prohibet diverſa admodum, eodem graviditatis tempore, fœtus magnitudo, numerus, liquoris amnii copia, unde extenſio uteri maxime dependet (*x*). Plerumque dictæ partes ſeſe ab anteriore monſtrant (*y*), in noſtro caſu vero ſeſe a poſteriore exhibuerunt; parte uteri anteriore, cui placenta adhærebat, magis etiam expanſa, quam poſteriore.

Pla-

(*t*) Icon. uteri grav. Tab. 1. pag. 2. not.
(*u*) Id. lib. cit. Tab. 4.
(*v*) Eſſays and Obſerv. phyſ. and lit. vol. 1. pag. 409.
(*w*) Nov. Act. Acad. Nat. cur. vol. 2. obſ. 88. pag. 350.
(*x*) Conf. Roederer Icon. uteri gravidi. pag. 2.
(*y*) Inſp. Monro lib. cit. pag. 409. Tab. 4. Roederer Icon. uter gravidi Tab. 1. Hunter Anat. uteri gravidi Tab. 1. Tab. 4

Placentæ ſedem incertam eſſe jam novit Veſalius (*z*), illamque nunc huic, nunc illi, parti matricis ſeſe adnectere (*a*), noſtra obſervatio, cum aliis collata, probat, & opinionem, quam olim fovebat Deventer, optime refellit. Hic nempe, ſtatuens, ſoli uteri fundo adhærere placentam, illos, qui lateribus quandoque illam nexam viderant, obliquo uteri ſitu fuiſſe deceptos, voluit, cujus quippe fundus nunc verſus unum, nunc verſus alterum, latus, aut & verſus anteriora ſic dirigitur, ut placenta laterali parti adhærere videatur, dum tamen ipſi uteri fundo adnexa eſt (*b*); ſed hanc opinionem a veritate alienam eſſe, inter alios, omni ſtudio oſtendit Levret (*c*). Numerus etiam

(*z*) De corp. hum. fabr. lib. 5. cap. 17. oper. tom. 1. pag. 469, ubi dicit, nexum iſtum non ſemper in eadem uteri ſede occurrere, verum modo in dextro, modo in ſiniſtro latere, ſed poſterius fere quam anterius magis.

(*a*) Monro lib. cit. pag. 421. Doct. Brand de ſecundis ambitui oſtii matricis interni adfixis. pag. 3. 4.

(*b*) Obſervat. import. ſur le manuel des Accouchemens. pag. 35.

(*c*) Suite des Obſervations ſur les cauſes & les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux. pag. 41. 104. Conf. etiam Boehmeri Disquiſitio de ſitu uteri gravidi fœtusque a ſede placentæ in utero, quæ exſtat in Halleri Diſput. Anatom. vol. 5. pag. 293, & una cum R. Manningham artis obſtetricariæ compendio recuſa eſt. pag. 103.

etiam obſervatorum, qui parti anteriori (*d*), lateribus (*e*), vel uteri orificio (*f*) nexam, aut orificium intrantem (*g*), imo ad vaginam usque ſeſe extenden-

(*d*) Bidloo Anatom. corp. hum. tab. 55. In quinque gravidis, quas diſſecuit Alex. Monro, placenta anteriori parti matricis adhærebat Medic. Eſſays and Obſervat. vol. 2. pag. 108. Paisley Ibid. vol. 4. pag. 360. Smellie a Treatiſe on the Theory and practice of Midwifery vol. 1. pag. 138. Hunter Anatom. uteri gravidi Tab. 5. 19. 30.

(*e*) Simſon Medic. Eſſays and Obſervat. vol. 4. pag. 96. Peyer Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 7. obſ. 204. Schacher de incerta placentæ ſede pag. 8. Trew Commerc. Litter. Norimb. ann. 5. pag. 307. Levret ſuite des Obſervations &c. pag. 71. 72. ubi & proprias, & ab aliis communicatas, obſervationes citat.

(*f*) Portal la pratique des accouchemens. obſ. 41. 51. 69. 79. Viardel Obſervations ſur la pratique des accouchemens. liv. 2. chap. 7. pag. 88. Amand Nouvelles Obſervations ſur la pratique des accouchemens. obſ. 20. pag. 118. La Motte Traité des accouchemens pag. 330. Mauriceau Traité des maladies des femmes groſſes liv. 2. chap. 27. Memoires de l'Acad. de Chir. Tom. 3. pag. 225. Schacher de placentæ uterinæ morbis §. 8. in Halleri Diſp. Pract. vol. 4. pag. 644. Levret ſuite des obſervations. &c. pag. 60. 61. Brand de ſecundis, ambitui oſtii matricis interni adfixis. pag. 5. qui multas aliorum obſervationes adducit. Brunner tria exempla reliquis addidit Diſſ. de partu præternaturali ob ſitum placentæ ſuper orificium internum uteri. Argent. 1730. Commerc. Litter. ann. 1. pag. 14. 15. Crop Nov. Act. Acad. Nat. Cur. vol. 1. obſ. 65. pag. 270. Krugelſtein ibid. vol. 3. obſ. 9. pag. 48. Hunter Anat. uteri gravidi. Tab. 12. Clar. van Doeveren Specim. Obſervat. Acad. cap. 10. pag. 159. ubi diverſam eſſe placentæ ſedem pluribus teſtimoniis probat.

(*g*) Petit Hiſt. de l'Acad. R. des Sciences ann. 1723. pag. 38. Collect. Acad. Part. Franc. vol. 5. pag. 365. Giffard Caſes in Midwifery

dentem (*h*), viderunt placentam, tantus eſt, ut dubium ſupereſſe nullum poſſit, & Hallerus recte monuerit, cum placenta ad membranas puras etiam adnasci apta ſit, ut ad inteſtinum, meſenterium, colon, diaphragma, tubam, uterique appendicem, quemadmodum, extra uterum in abdominis cavo inventorum, fœtuum exempla (*i*) probant, de utero qui-

wifery caſ. 224. pag. 511. Smellie a treatiſe on the theory and practice of midwifery. vol. 1. p. 138. Rariſſimum poſſe dici talem caſum, adeo quidem, ut inter 3600, ab anno 1759. in Noſocomio puerperarum Hafnienſi abſolutos partus, unicus, & extra Noſocomium raro talis obvenerit, ſtatuit Saxtorph; aſt, dum ſemeſtri ſpatio octies eundem notavit, & ſæpe una eademque hebdomade plures ejusdem ſpeciëi partus obſervavit, ad hoc determinatum tempus quaſi conſpirantes, rogat, an forte etiam dentur partus epidemici? Societ. Medic. Hafn. collect. vol. 1. pag. 310. Quicquid hac in re ſtatuendum ſit, ulterior experientia probabit; id tamen negari nequit, aliquoties intra breve temporis ſpatium plures ejusdem ſpeciëi partus difficiles ab obſtetricantibus obſervari, quales ſeſe per plures annos nec ante illud tempus obtulerunt, nec poſtea animadverſæ ſunt.

(*h*) Clar. Wrisberg Nov. Comment. Societ. Gotting. Tom. 4. pag. 67. Joh. Chriſt. Sommer Beobachtungen und Anmerkungen über die in der gebärmutter zurückgebliebene und in einem ſacke eingeſchloſſene nachgeburt. pag. 13.

(*i*) Collegerunt talia Du Verney Oeuvres Anatomiques Tom. 2. pag. 349. ſeq. 358. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 47. Patuna epiſt. contin. hiſtoriam fœtus ſine involucris extra uterum inventi. pag. 9. not. 2. Theſaur. Diſſ. vol. 3. pag. 322.

Adauxit nuperrime obſervationes de fœtubus extrauterinis ſingulari

quidem minus oportere mirari, ſi in quaque ejus parte aliquando adhæreſcat (*k*).

In

ri caſu fœtus indurati, in ipſo abdominis cavo inventi, Clar. Walter. Fœmina quippe, anno 1752. gravida facta, fœtum poſt novem menſes non in lucem emiſit, ſed illo tempore in abdomine & utero inſignes perpeſſa eſt dolores. Poſtea nullum omnino ſentiit incommodum, niſi ultimis vitæ annis, quando, ſpiritu vini dedita, de anxietate, palpitatione cordis, querebatur, & convulſionibus, ſubinde vehementibus & ferme epilepticis, corripiebatur. Ob morbum pectoris in Noſocomium delata obiit verſus finem decembris 1774. Aperto abdomine in ipſius cavo infans detegebatur abſque membranis, placenta, aut rite conformato fune. Color infantis albus erat, ad flavum tamen vergens; ipſe maxime induratus, ſic ut caput, dorſum, artus, moveri non valuerint. Adimpleverat totam pelvim, capite utero & veſicæ urinariæ appreſſus, facie os ſacrum, occipite pubis oſſa, reſpiciens. Dorſum nateſque integebat omentum, ipſis adeo firmiter nexum, ut abſque læſione ſeparari non potuerit. Duo ex omento prodibant vaſa ad umbilicum fœtus tendentia, ibique evaneſcentia. Ex colo etiam quatuor notabilia vaſa ad abdomen fœtus progrediebantur, alia ex recto, uteri fundo, & tubis Fallopianis, quæ omnia colligebantur in quinque faſciculos, ad umbilicum terminatos. Uterus, tubæ, ovaria, veſica urinaria, aliæque vicinæ partes a ſtatu naturali non receſſerant, præterquam quod ovario dextro tumor, nucem moſchatam magnitudine ſuperans, adhærebat. Cruſta lapidea obtegebat totum fœtum, quæ non niſi ſumma cum difficultate, & de nonnullis tantummodo partibus, tolli valuit —— Præter memorata & illud notatu dignum exhibuit idem cadaver, quod cor non ſiniſtrum, ſed dextrum occupabat thoracis latus, & pericardium dextræ etiam diaphragmatis parti adhærebat, cum pleura concretum, & exiguum ſpatium pro pulmone dextro relinquebat. Geſchichte einer Frau, die in ihrem unterleibe ein verhärtetes kind zwey und zwanzig jähre getragen hat.

Ber-

In ſeparatione placentæ ab utero videbantur filamenta quædam & vaſa lacerari. An hæc vera vaſa, an filamenta, an filamentis intermixta vascula, fuerint, dictu facile non eſt; viſa fuere vaſa ſeſe monſtrare (*l*). Verum etiamſi hic loci vaſa dentur, & in placentam penetrent, hæc tamen vaſorum uteri & umbilicalium anaſtomoſin nullo modo probant. Quæ ab aliis capta ſunt, quæ ipſe inſtituere valui, experimenta, non improbabilem mihi reddunt illorum opinionem, qui volunt, anaſtomoſin veram non dari inter vaſa uteri & umbilicalia, adeoque hæc non directe cum uterinis vaſis communicare, ſed funis vaſa venoſa reſorbendo imbibere humorem ex ſinubus, qui in illa uteri parte conſpiciuntur, cui placenta adhæret, qui humor porro per funem umbilicalem ad fœtum defertur (*m*). Licet non videatur nega-

Berlin. 1778. pag. 11. ſeq. Legi etiam meretur Hiſtoria fœtus oſſei per quinquaginta quatuor annos extra uterum in abdomine detenti, quam Cl. Nebel inſeruit Actis Acad. Theodor. Palatin. vol. 2. pag. 403.

(*k*) Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 227.

(*l*) Conf. Albini Annot. Acad. lib. 1. cap. 10. pag. 35.

(*m*) Adſtruxit egregie hanc opinionem diligentiſſimus olim auditor, Anatomes jam & Chirurgiæ in Academia Harderovicena Profesſor, Clar. Forſten, Diſſertatione quæſtiones ſelectas phyſiologicas exhibente, Præſide G. van Doeveren 1774. Quæſt. 4. pag. 54. ſeq.

negari poſſe, vaſa ex utero in placentam penetrare (*).

Binas eſſe præcipuas ovi membranas jam novit antiquitas, chorion, & amnion (*n*). Extrinſecus craſſa membrana eſt, quæ vocatur chorion, ei ex interiore parte ſuperinducta tenuis, quæ amnios; intus ex fune, ſuo humore immerſus, embryo dependet; funis membranis ovi continuatus, & ubi continuatus, ibi vena ejus, geminæque arteriæ, in ramos abeunt, qui, vaginis a chorio aſſumtis, prodeunt; indeque ramoſiores velut in innumerabiles radiculas abeunt, quas ovum ab exteriore parte ſpargit. Liberæ hæ primum, poſt, ut creſcunt, ramoſiores, magisque conjunctæ inter ſe, in maſſam illam compinguntur, quæ, ovo maturiori extrinſecus adhærens, placenta adpellatur. Ovum, his membranis compoſi-

(*) Confirmavit hoc nuperrime etiam Clar. Walter, qui, facta injectione per arterias atque venas, vaſa uteri egregie impleta vidit, vaſa etiam, quæ placentam cum utero nectunt, turgida conſpexit, ſic ut tenuior non tantum, verum etiam craſſior, injectæ materiëi pars placentam adimpleverit; illi vero rami, qui venam arteriasque umbilicales componunt, plane erant vacui, ſic ut nihil omnino corpus fœtus intraverit. Geſchichte einer Frau, die in ihrem unterleibe ein verhärtetes kind zwey und zwanzig jähre getragen hat. Berlin 1778. pag. 24.

(*n*) Secundinarum hiſtoria evolvi meretur in Noortwyck hiſt. uter. gravidi. pag. 114.

poſitum, maſſa carnea cingit, adhærens & ad chorion, & ad placentæ vaſa, involucrum referens, ovum folliculi ſpecie complectens, natura velut fungoſum, in aliis tenuius, in aliis craſſius, aliis pertinaciter adhærens, aliis facilius abſcedens, aliis interſertum placentæ vaſis, ut defixa ei ſint, aliis fere tantummodo ſuperinductum; firmius aliis, aliis tenerius, quod Ruiſchius pro ſanguine coagulato habuit, ſed natura ſimile illi eſt, quo ovum maturum continetur. Sic breviter, egregie tamen, membranas ovi deſcripſit Albinus (*o*), qui additam a multis membranam allantoïdem invenire nunquam potuit (*p*). Diſtinxit alio modo dictas membranas, extimæ aliud nomen indidit, Celeb. Hunter, ejusque hac de re opinionem, anatome fundatam, expoſuit ipſius Diſcipulus Doct. Cooper (*q*). Tunicam internam vocat amnion, illam, quæ

(*o*) Annot. Acad. lib. 1. cap. 18. 19. pag. 68. ſeq.

(*p*) Ibid. pag. 75. Singularem tamen vidit veſiculam ſub amnio ſitam in proceſſu ejus infundibuliformi, puro limpidoque humore diſtentam, ſpecie hydatidis, unde filum ad ventrem embryonis per umbilicum pertinebat. Similem veſiculam deſcribit Wrisberg Deſcript. Anatom. embryonis. Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 216. & Hic orta inde filamenta usque in abdomen perſecutus eſt. Poſſidere ſe talem, notat Doct. van de Laar, Schets der geheele verloskunde pag. 82. in nota. Similem & ipſe vidi. Talis autem naturæ ſunt hæ veſiculæ, ut pro vera Allantoïde haberi non poſſint.

(*q*) Diſſert. de Abortionibus. Lugd. Bat. 1767.

quæ hanc proxime inſequitur, chorion, externam omnium deciduam. Internæ tunicæ, amnii, firmæ, utcunque denſæ, pellucidæ tamen, vaſis deſtitutæ, ſuperficies externa cingitur chorio, cum quo cohæret per ſpeciem gelatinæ, ita ut facillime ſeparari & detrahi poſſit, progrediendo continuatur ad funem, eique lævigatum dat involucrum. Chorion, maxime transparens, minori quam amnion firmitate gaudens, cum hoc connexum, atque ubique circa aquas & ſuper funiculum extenſum, ubi ipſum ab amnio tegitur, integumentum perfectum, integrum, conſtituit. Ope ſuperficiëi externæ, quæ villoſa & tomentoſa exiſtit, inveſtit atque adhæret internæ faciëi deciduæ ac placentæ, circumdat autem omnia vaſa, quæ a fœtu proveniunt, ſimul ac placentam ſubeunt, atque generatim per totam ejus ſubſtantiam vaſorum tunicam extimam conſtituunt. Involucrum externum tunicarum atque placentæ, quod ubique utero adhæret, olim chorion, ſpongioſum tomentoſum, dictum, appellatur decidua, & eſt craſſa, ſpongioſa, carnoſa, facile lacerabilis membrana; craſſities varia eſt, ſemper craſſior & magis carnoſa fit, quo propior ad placentæ oram accedit. Tenera ſimul & levi vi lacerabilis eſt, ad inſtar ſanguinis

coa-

coagulati. Ab ora placentæ, ubi omnes tunicæ arctius ſibi invicem intertextæ & permixtæ apparent, in abortibus præcocioribus diſtincta lamella detrahi poteſt, quæ pertinet ad deciduam, atque chorion in tota circumferentia a placenta, quaſi per ſpeciem reflexionis a placentæ limbo, obvelat. Hanc deciduam reflexam dicit Hunter. Hæc ultimis graviditatis menſibus ab altera decidua neutiquam ſeparari poteſt, quæ diſtinctionis ergo in præmaturioribus abortibus decidua externa appellatur. Hæc externa ubique ſuperficiem externam placentæ obvelat, hæc adhæret matrici, ita tamen ut detrahi poſſit, hæc, in aqua expanſa, utramque ſuperficiem lanugine molli, tenui, obſitam monſtrat; illiusque adhæſio ad uterum vasculis abſolvitur, quæ ſunt propagines ex matrice emiſſæ: in initio graviditatis decidua atque chorion adprime diſtincta ſunt, ſed circa finem plerumque ita coalescunt, ut difficillime ſeparari poſſint. Refert vasculoſo-membranaceum velamentum, in ſuperficie placentæ ſitum, ſed recedit etiam ab utero in omnia interſtitia, & inter lobulos per totam ejus ſubſtantiam ſe immergit, creditque Hunter, hanc tunicam partem placentæ celluloſam efficere. Deficit denique hæc decidua ad os tincæ, atque in illis lo-

F cis,

cis, ubi tubæ Fallopianæ oriuntur. Ea propter, & quoniam vaſa ab utero habet, credit, membranam hanc non ad ovum, ſed ad uterum pertinere, illamque, quotiescunque fœmina concipit, & quotiescunque ovum excludit, aut abortú rejicit, toties quoque marcescendo cadere (*r*).

Sunt & hac in fabrica bene multa, quæ majori illuſtratione egent, antequam rite perſpecta dici posſint. Confert interea multum fidelis relatio eorum, quæ ſeſe offerunt. Quid itaque mihi ova, abortu eliſa, exhibuerunt, dicam, & ante oculos ponam. Ova, ſecundo tertiove menſe rejecta, maſſam referebant carneam, ſanguinolentam, inæquabilem, fungoſam (*s*), altera parte, eaque ſuperiori, latiorem, flocculenta ſubſtantia, in aqua ſeſe explicante, obſitam (*t*), altera eaque inferiori contractionem (*u*), & in apice foramine pertuſam (*v*). Foramen hoc aërem admittebat, totius maſſæ longe maximam partem expandentem. Inde ſuperiora verſus ſectione inſtituta (*w*), in-

(*r*) Diff. cit. pag. 14. 15. 16. 17. 18. Conf. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 403.

(*s*) Tab. VI. Fig. 1. 2.

(*t*) Tab. VI. Fig. 1. b. b.

(*u*) Tab. VI. Fig. 1. a c. add.

(*v*) Tab. VI. Fig. 1. d.

(*w*) Tab. VI. Fig. 2. c. d. c.

interiora apparebant cavi notabilis, glabri (*x*), intra quod ovum dependebat parte ſua inferiore (*y*), quam membrana, cavum hoc ab interiore formans, integebat, hunc in finem, ubi ad ovum devenerat, deſcendens, ſeſeque reflectens (*z*). Erat membrana, quæ proprie cavum dictum, totamque maſſam carneam (*a*) formabat, decidua externa, pars ipſius, quæ ovum continebat, decidua reflexa (*b*). Idem ſpectaculum in variis abortibus ſeſe exhibuit, capacitas autem tanto minor fuit, quo majora extiterunt ova, ſic ut demum decidua reflexa, & externa, hæc ſuperficie interna illa ſuperficie externa, ſeſe contingant, ſpatium nullum relinquant, demum plenarie concrescant (*bb*).

Quandoque ovum ipſum, utero adhuc contentum, ſeſe a masſa illa carnea, quam decidua format, ſeparare videtur, & ſeorſim rejici, prodeunte poſtea decidua. Vidi, tertio menſe, ovum, flocculenta ſubſtantia egregie obſitum, eliſum; elapſa vero circiter hora dimidia, maſſam carneam prodeuntem, quæ ex-

(*x*) Tab. VI. Fig. 2. e. e.

(*y*) Tab. VI. Fig. 1. e e. Fig. 2. f f.

(*z*) Tab. VI. Fig. 2. g.

(*bb*) Conf. Hunteri Anatom. uteri gravidi Tab. 33.

(*a*) Tab. VI. Fig. 1. d. e. c. e. Fig. 2. c. d. c. e. e.

(*b*) Tab. VI. Fig. 2. f. g. f.

extrinſecus, qua parte utero adhæſerat, admodum inæquabilis, ſacculum quemdam, undique, inferiore parte excepta, clauſum referebat, ſic ut per parvam aperturam immiſſus aër totum expanderet; intrinſecus vero ſuperficiem æquabiliſſimam habebat, adeo ut conſtaret, ovum, quod eodem, ac in præcedenti caſu, modo deciduæ fuerat nexum, ab eo eſſe ſeparatum, maſſamque carneam, minime morboſam (*c*), ſed naturalem, dici debere.

Experimenta, cum amnii liquore capta (*d*), in genere conveniunt cum iis, quæ alii protulerunt. Ab alcohole admiſto album evaſiſſe ac turbidum, a prunarum calore album etiam, & miſtum caſeoſis quibusdam coagulis, vidit Haller (*e*). Oleum vitrioli, vel oleum tartari per deliquium, nullam mutationem produxiſſe; coctum in albam ſpumam abiiſſe, & unciam, ſic ad ſiccitatem deductam, reliquiſſe

(*c*) Trew Commerc. Litter. ann. 5. pag. 308.

(*d*) Vid. pag. 11.

(*e*) Hiſt. nuperæ diſſect. fæminæ gravidæ. Oper. min. Tom. 1. pag. 44. Quando recens de animali ſumitur, cogitur in igne, ut lympha ſolet, & ut liquor colliquamenti in ovo maturiori ad duritiem cocto; ſic etiam ab acri alcohole denſatur, & ab alumine, & a gallarum infuſione, nitrique ſpiritu. Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 294.

quiſſe ſcrupulum ſeroſi quaſi coaguli, notat Monro (*f*). Admiſtum ſpiritum nitri eum in partem albidam magis & aquoſam, atque in coagulum caſeoſum, mutaſſe; ſpiritum vitrioli rectificatum vix eum mutaſſe, niſi quod dilueret colorem, levemque ei conciliaret mucoſitatem, memorat Cl. van Doeveren (*g*).

Quemnam uſum fœtui præſtet hicce liquor, multi quidem inveſtigarunt, ſed non eodem determinarunt modo. Tutiorem certe a preſſione eſſe fœtum, nec adeo facile poſſe lædi, quam ſi tali liquori non innataret, faciliusque, parante quippe illo & disponente viam, in lucem emitti, negari nequit; verum, an inde nutriatur, nondum conveniunt Phyſiologi. Sunt qui nutrientem liquoris naturam negant, ſunt qui contrarium ſtatuunt, atque, fœtum revera illo nutriri, docent (*h*). Si autem naturam liquoris, gelatinoſam, blandam, ad alendum idoneam, ad-

(*f*) Eſſays and Obſerv. phyſic. and. litter. vol. 1. pag. 429.

(*g*) Specim. Obſervat. Acad. cap. 7. pag. 104.

(*h*) Examinavit argumenta, quæ utriusque ſententiæ fautores adducunt, Ill. Haller, illisque ponderatis in opinionem eorum, qui fœtum inde nutriri ſtatuunt, deſcendit. Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 198. Conf. elegans Doct. Hannes diſſertatio, qua fœtum in utero materno per os nutriri demonſtratur. Duisburgi 1756.

adtendimus; ſi illum a fœtu deglutiri (*i*), aut ſaltem in ore, faucibus, œſophago, ventriculo, inteſtinis inveniri (*k*), concedimus; ſi fœtus absque umbilico (*l*), & vaſis umbilicalibus (*m*) ſunt viſi, aut ab umbilico ſeparati (*n*), & tamen bene nutriti, non videtur improbabile, liquorem amnii in nutrimentum fœtus cedere poſſe.

Fœ-

(*i*) Schacher Diſſ. de deglutitione Lipſiæ 1705. narrat, canem gravidam vivam ſe ſcalpello anatomico ſubjeciſſe, utero inciſo, chorio diſſecto, amnio vero integro, in tribus fœtibus accurate obſervasſe, eos non tantummodo os aperuiſſe, modo clauſiſſe, verum etiam linguam nunc retraxiſſe, nunc vero eandem rurſus palato firmiter applicuiſſe, atque eodem tempore animadvertiſſe circumfluum amnii liquorem, ore aperto, & lingua depreſſa, ſeſe in faucium iſthmum inſinuaſſe, eundemque, lingua palatum verſus elevata, per gulam ad ventriculum perveniſſe. Conf. Hannes Diſſ. cit. pag. 51.

(*k*) Heiſter Medic. Chir. Anatom. Wahrnehm. obſ. 520. Compend. Anat. Tom. 2. pag. 87. De Graaf de mulier. organ. cap. 15. Roederer de fœtu perfecto. §. 13. Opuſc. Tom. 1. pag. 80.

(*l*) Stalp. van der Wiel Cent. 2. obſ. 32. pag. 327. Rommelius in Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 7. obſ. 209. Fatio Helvetiſch vernünftige Wehemutter pag. 37. 38.

(*m*) Denys Verhandel. over het ampt der Vroedmeeſters. pag. 198.

(*n*) Chatton memorat, ſe liberaſſe fœminam ab infante ſaniſſimo, cum umbilicali fune nullatenus cohærente, ſed cui umbilicus eodem modo ſeſe habebat, ac in infante trium menſium; adhærebat placentæ funis, ſed hic, ubi fœtui alias nexus eſt, in cœcum, rotundulum, finem deſinebat. Journal des Scavans 1673. Collect. Acad. part. etrang. pag. 272.

Fœtus lateralem ſitum, in ſuo caſu, memorabilem eſſe, dicit Roederer (*o*), ſed naturalem illum esſe dicendum, ſaltem longe ſæpius obſervari, quam quod ſoli caſui adſcribi poſſit, anatomicum examen probare videtur (*p*). In enarrato caſu lateri ſiniſtro incumbebat embryo, ſic ut caput, inferiora verſus directum, fronte os innominatum dextrum, occipite ſiniſtrum ſpectaret, mento pectori adprimeretur, ac ſimul brachium adtingeret dextrum, quod, manu ſiniſtra quaſi comprehenſum, una cum hacce umbilicalem continebat funem (*q*). In gravida ſex menſium, quam ſecuit Roederer, ſimilis omnino ſitus fuit (*r*), & in iis etiam, in quibus requiſita omnia partus perfecti aderant, ſed ſymptomata accidentalia, in partu ſupervenientia, lethalia fuere, ſitus perfecte idem viſus eſt. Notavit tali occaſione verum ſitum capitis in partu perfecto Berger, viditque & in præparato, quod Argentorati aſſervatur, & in cadavere defunctæ parturientis, deſcriptum capitis

(*o*) Icon. uter. grav. pag. 21. in nota.

(*p*) Conf. Clar. van Doeveren Specim. Obſervat. Acad. cap. 7. pag. 116.

(*q*) Tab. III. Fig. 1. 2.

(*r*) Icon. uteri grav. Tab. 5.

tis ſitum Saxtorph (*s*). Menſe nono, octavo, ſeptimo, ſexto, quinto, quarto a ſe viſum huncce ſitum delineavit Hunter (*t*). Nec obſtat, quod infantes prodire ſoleant, facie oſſi ſacro obverſa, videtur enim alius eſſe capitis ſitus, ubi aperturam ſuperiorem pelvis intrat, alius, ubi per inferiorem exit, & hoc mutua, quæ datur inter caput fœtus & capacitatem pelvis, relatio requirit (*u*). Merito itaque ſtatuit Roederer, lateralem fœtus poſitum ad ſuperiorem pelvis aperturam obſervari, & ad inferiorem in conſuetum mutari (*v*). Merito monet Clar. van Doeveren (*w*), primis partus doloribus, majore capitis fœtus dimenſione reſpondente majori pelvis, & minore minori, caput aliquantum lateraliter ingredi aperturam hujus ſuperiorem, dein autem ulterius delapſum in medio cavo pelvis, ubi dimenſionum ratio eſt inverſa, incurrere in os iſchii, indeque, niſi deviatio magna fuerit, facile determinari,

(*s*) Theoria de diverſo partu ob diverſam capitis ad pelvim relationem mutuam. pag. 18. not. i.

(*t*) Anatom. uteri gravidi. Tab. 6. 21. 23. 26. fig. 4. 27. fig. 2. 31. fig. 2.

(*u*) Conf. Saxtorph theoria de diverſo partu pag. 15. ſeq. 27. 28.

(*v*) Icon. uteri gravidi pag. 21. qui aliter ſentientes etiam refellit.

(*w*) Specim. obſervat. Acad. cap. 7. pag. 124.

ri, levi rotatione facta, faciem in partem oſſis ſacri anteriorem maxime concavam, & occiput ad pubem ita dirigi, ut naturali poſitione caput in lucem prodeat (x).

Septimo demum menſe, facta verſione, capite deſcendere fœtum, vetus opinio eſt, cui recentiorum plurimi, ſummo jure, ſeſe opponunt. Nihil autem perpetuum de poſitura fœtus in utero determinari poſſe, jam dixit Arantius (y), & arbitratus Harveus eſt, ſœtum eandem ſemper membrorum poſitionem non ſervare, quippe in aqua natantem, ſeſeque moventem, modo huc modo illuc extendi, varieque inflecti, & volutari, adeo ut, proprio umbilici funiculo implexus, mire irretiatur, & uterum modo ſuperne, modo inferne, nunc in hoc, nunc in alio, latere pulſet (z). Probabilis omnino illorum videtur ſententia, qui ſtatuunt, naturalem maxime & conſuetum fœtus in utero ſitum eſſe talem, ut, ſi uterus recte poſitus ſit, à primis geſtationis menſibus, capite ſuo innitatur ſegmento inferiori uteri, pedi-

(x) Conf. C. F. Schultz de ſitu fœtus in utero materno. Gryphiſw. 1770. §. 14. pag. 18. ſeq.

(y) De humano fœtu cap. 12.

(z) De generatione animalium. Oper. Tom. 2. pag. 345.

pedibus fundum petat; eum vero ſitum nequaquam eſſe conſtantem, ſed durante graviditate ſæpiſſime mutari, adeoque mirum non eſſe, quod frequentisſime in partu naturali caput ſit prævium, intelligi autem, cur non raro pedes, aliæve partes, præcedant (*a*).

Quamvis autem incertus adeo & mutabilis fœtus ſitus ſit, negari tamen nequit, ſeptimo menſe gravidas plurimas, etiam ſaniſſimas, quæque per totum graviditatis tempus vix de ullo incommodo conqueſtæ ſunt, in infimo ventre ſenſationem ingratam, moleſtam, qua ad alvum deponendam, emittendam urinam, excitantur, quæque, cito diſparens, illas agiliores, alacriores, relinquit, partibus quaſi rite compoſitis, percipere: quæ docere videtur, fœtus ſitum eo tempore aliquomodo mutari, & ad partum, ſenſim ſenſimque appropinquantem, aptiorem reddi.

Uteri craſſities in noſtra obſervatione notabilis non fuit. Deſcendit, quum mulier in ventre habet, ſanguis paulatim in uteros a toto corpore, & in orbem circa id, quod in uteris eſt, circumſtans illud auget, di-

(*a*) Conf. Clar. van Doeveren Specim. obſervat. Acad. cap. 7. pag. 109.

dicit Hippocrates (*b*). Et ſane adfluxus humorum major, reditus illorum, compreſſis venis vicinis, difficilior eſt. Hinc vaſorum tunicæ maxime expanduntur, fibræ, inter quas hæc decurrunt, ab invicem repelluntur, totaque ſubſtantia rara, ſpongioſa, redditur. Hæc ratio, quod mollis ſit, facileque comprimi, & tenuior reddi, diduci, reddique craſſior poſſit; hæc ratio, quod ſegmento in aquam conjecto, leniterque agitato, ſeſe laxet, & explicet. Hæc etiam comprimenda mollitudo impedimento eſt, quominus facile de vera craſſitudine ſtatui quid poſſit, adeoque anſam Anatomicis præter cætera præbuit, de craſſitudine uteri prægnantis diſputandi (*c*). Accedit & hoc, quod nonnulli vel ſanguine turgidiſſimum uterum examinarunt, vel, facta prius injectione, ſecuerunt; alii contra poſt ſanguinem emiſſum menſurarunt, in quibus caſibus inſigniter differre craſſities, id eſt, diſtantia ſuperficiëi externæ ab interna, debet (*d*). Præterea dicta uteri mutatio, in omnibus ipſius partibus, non eodem ſeſe habet modo, ſed va-

(*b*) De morbis mulierum lib. 1. art. 40. edit. Linden. Tom. 1. pag. 442.

(*c*) Albini Annot. Acad. lib. 2. cap. 5. pag. 26.

(*d*) Conf. Heiſter Act. Acad. Nat. cur. vol. 1. obſ. 183. pag. 407.

varia craſſities in diverſis partibus obſervatur (*e*). In noſtro caſu maxima aderat in parte anteriore & inferiore, cui placenta adhæſerat, minor in reliquis (*f*); & quum plerumque cum fundo nectitur placenta, minime mirum, a pluribus hanc partem craſſiorem eſſe viſam, verum ſimul ſpongioſiorem (*g*), licet hæc tamen differentia non ſemper conſpicua ſit (*h*).

Multi, quibus gravidum uterum ſecandi nata ſæpius occaſio eſt, putant in genere uterum non multum craſſitie adaugeri, licet ſubinde craſſior, ſubinde tenuior, fuerit viſus, & adfirmat Monro (*i*), in collectione uterorum gravidorum, quam ſervavit Smellie, eſſe, qui tribus dictis opinionibus faveant, eſſe

(*e*) Van Doeveren Specim. Obſervat. Acad. cap. 6. pag. 92. 93. Peyer Eph. Nat. Cur. Ann. 7. obſ. 204. pag. 383. Reinmann Nov. Act. Acad. Nat. Cur. vol. 2. obſ. 88. pag. 350.

(*f*) Habet Levret exemplum lateralis adhæſionis placentæ, & notat in ſecto cadavere latus uteri, cui adhæſit, novem vel decem linearum craſſitudinem habuiſſe, oppoſitum vix dimidiam. Suite des accouchemens laborieux pag. 82.

(*g*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 7. part. 2. pag. 57. Thebeſius Hebammenkunſt pag. 20. not. Slevogt de incerta placentæ ſede Jenæ 1710. pag. 5. Hic nullibi craſſiorem vidit uteri ſubſtantiam, quam circa placentam.

(*h*) Roederer Icon. uteri gravidi pag 6.

(*i*) Eſſays and Obſervat. Phyſic. and Litterar. vol. 1. pag. 418.

eſſe unum adeo tenuem, ut vix tertiam partem uteri non gravidi habeat, ac ſuperaddit, quod, ſi ex illis, quos ipſe examinavit, uteris, judicium ferre de ipſorum mutatione deberet, cenſere cogeretur, tenuiores potius quam craſſiores reddi, licet differentia non adeo magna ſit, & concedere debeat, gravidum uterum in vita multo eſſe craſſiorem, quando vaſa omnia ſanguine turgent, poſt mortem collapſa, ac repletionem vaſorum inſignem etiam producere diſcrepantiam. In omnibus, quos ego vidi, uteris, graviditate expanſis, & plures conſpexi, ſubſtantiam potius tenuiorem, quam craſſiorem, obſervavi, ſaltem ſæpius uteri non gravidi craſſitiem multo majorem, quam in graviditate, conſpexi, adeo ut cum iis ſentire non poſſim, qui ſtatuunt, uteri quidem craſſitiem nonnunquam augeri, nonnunquam manere eandem, aſt inter rariſſima computandum eſſe, ſi quando extenuari contigerit (*k*).

Nexus Oſſium Pubis, binarum cartilaginum hoc in nexu, ut & inter ſacrum os & innominata, præſentia, memet confirmant in opinione, quam ante quin-

(*k*) Noortwyk Hiſt. uteri gravidi. pag. 111.

quindecim annos latius expoſui (*l*); talem quippe partium, pelvim oſſeam formantium, compoſitionem eſſe, ut in partu cedere, totaque capacitas dilatari poſſit. Oſtendi tunc non ſolum, partium fabricam huic opinioni favere (*m*), ſed præterea diſtractiones (*n*) atque dolores, de quibus parturientes conqueruntur, auditum a multis ante vel in partu,

(*l*) Diſſ. de pelvi, ejusque in partu dilatatione. Exſtat etiam in Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 172.

(*m*) Examinavi poſtea aliquoties osſium pubis nexum; binas ſemper inveni cartilagines, ſæpe, in iis præprimis, quæ videbantur infantes in lucem emiſiſſe, ſatis diſtantes, ſubinde vero ligamentoſa intermedia ſubſtantia quaſi nexas, in cadaveribus fœminarum, in quibus nulla prægreſſi partus ſigna aderant, & in genere ea, quæ obſervare potui, conveniunt cum iis, quæ notavit Clar. Bonn. Hic de ſtructura harum partium egregie egit, & poſſibilitatem dilatationis pelvis firmis ſuperſtruxit fundamentis. Verhandelingen van het Bataafsch Genootſchap. III. D. pag. 274.

(*n*) Gracilibus, junceis, & anguſto corpore præditis, fœminis, regionem oſſis ſacri, natesque ita diſtendi & extrudi, ut altero tanto evadant latiores, partuique propiores ægre & cum divaricatione incedere, confitentes, videri ſibi geſtare cuneum, qui premendo oſſa pubis, ſacrumque diſtendat, obſervavit etiam Becker, oſtenditque, hoc fieri non poſſe, niſi cartilagines dictorum oſſium relaxarentur. Magna cum admiratione digitorum ſenſu percepit, oſſium diſtenſionem in partu, urgentibus doloribus; fieri notabiliorem, eandemque, ceſſantibus doloribus ac remittente enixus conatu, paulum remittere, niſi ingreſſus fœtus oſſa teneat diſtenta. Παιδιοκτονία inculpata ad ſervandam puerperam pag. 32. 33. 34.

tu, quin & abſoluto illo, & diu ſæpe ſuperſtitem crepitantium oſſium ſtrepitum; ortam claudicationem; motus in vivis perceptionem; ligamentorum in gravidis & puerperis animadverſam laxitatem (*o*); puerperarum defunctarum ſectiones, evincere, revera dilatari pelvim. Ab illo tempore aliquoties poſt difficilem partum veram pelvis dilatationem obſervavi, oſſium motum digitis percepi, & confirmarunt idem obſervatis ſuis alii. Pertractarunt vero nuperis annis eandem hancce theſin tot auctores, iisdem, quæ in auxilium vocavi, argumentis ſubinde uſi (*p*), & vel plenius demonſtrarunt, vel limitarunt propoſitam dilatationem, ut, nonnullos citaſſe (*q*) contentus, co-

(*o*) Peyer in cadavere gravidæ, partui proximæ, quadragenariæ, vincula, quibus oſſa pubis inter ſe connectuntur, laxa admodum vidit. Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 7. Obſ. 204. pag. 382. Conf. Bonn. lib. cit.

(*p*) Conf. Clar. Louis in Memoir. de l'Acad. de Chir. Tom. 4. pag. 63. ſeq. Adfirmat hic, ſe anno 1761. cum Roederero hac de re verba facientem, Clariſſimum hunc virum conviciſſe, atque ipſi oſtendiſſe, rationes, quas contra dilatationem pelvis adduxerat, minime eſſe fundatas. Ibid. pag. 81. not.

(*q*) Van Swieten Comment. in H. Boerhaave Aphor. Pract. Tom. 4. pag. 539. Undecima a partu difficillimo ſeptimana oſſa pubis adhuc ſeparata vidit, ſæpiusque obſervavit poſt difficilem partum, puerperas, de moleſto dolore circa commiſſuram oſſium pubis conqueſtas, primis puerperii diebus nullo modo ſitum erectum tolerare potuiſſe. Hallerus Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 435. ad eorum ſententiam accedere

coctam, recoctamque ſæpius, crambem apponere nolim, præſertim cum toties probata, toties confirmata mea opinio eſt, ut, vix amplius dubitare quemquam poſſe, credam, an laxatis ligamentis, emollitis expanſis quaſi cartilaginibus, diſtantia inter oſſa pubis, inter innominata & os ſacrum, major fiat, atque ea propter non luxetur, ſed æquabiliter diſtendatur, dilatetur pelvis.

cedere videtur, qui, vi difficilis partus, ſecedere oſſa putant, ſed in ſano partu ſeceſſionem hanc plerumque abeſſe ſtatuunt. Louis Mem. de l'Acad. de Chir. Tom. 4. pag. 63. ſeq. aliorum argumenta examinat, refutat, & dilatari pelvim probat. Obſervavit Alix in parturiente octodecim annorum, quæ difficili partu infantem, magno admodum capite donatum, in lucem emiſerat, tantam oſſium pubis ſeceſſionem, ut digitum interponere facillime valuerit, dum oſſa innominata adeo mobilia erant, ut nullum ſupereſſe dubium poſſet, quin laxati etiam nexus illorum cum oſſe ſacro eſſent. Obſervat Chir. faſc. 3. Richtes Chirurg. Bibl. IV. B. p. 441. Saxtorph Theoria de diverſo partu ob diverſam capitis ad pelvim relationem mutuam pag. 70. non niſi in partu laborioſo oſſa pelvis a ſe invicem removeri ſtatuit, & ipſe hoc aliquoties obſervavit, quod etiam probare anniſus eſt Thierry Diſſ. de partu difficili a mala conformatione pelvis, in Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 193.

C A-

## CAPUT SECUNDUM.

### *De obliquitate uteri, præternaturali orificii ipſius conſtitutione, & tubis Fallopianis penitus occluſis.*

Varias eſſe cauſas, quæ ſitum uteri, non gravidi, mutare, obliquum reddere, valent, tumores ipſi annexos deſcribens, præcedenti libro probavi (*a*), & adductis exemplis oſtendi, uterum, ob inæqualem ligamentorum longitudinem, verſus hoc illudve latus inclinaſſe. Quid vero ſedula cadaverum contemplatio hac in re me docuerit, memorare lubet.

Primum, in quo hac de cauſa uteri obliquitatem obſervavi, cadaver mulieris erat, quod nullum omnino prægreſſæ graviditatis ſignum exhibebat. Qui a genitalibus externis ad uterum tendit, canalis, vaginam dicunt, præter modum anguſtus, contractus erat; uterus ipſe adeo parvus, ut nunquam in adul-

tis

(*a*) Cap. 8. pag. 106. 107. Conf. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 7. part. 2. pag. 49., qui, valde dextrorſum inclinaſſe, ipſe vidit, & ex aliis ſimilia exempla adducit.

tis tam exiguum viderim, verſus latus dextrum fundo ſuo inclinabat, orificio verſus os iſchium ſiniſtrum directo; latum ligamentum dextrum adeo breve erat, ut vix adeſſe videretur; ſiniſtrum contra longiſſimum; hinc tantus erat obliquitatis gradus, ut de corpore uteri nihil omnino media in pelvi conſpiceretur. Ovaria adeo parva erant & contracta, ut vix unguem digiti minimi magnitudine æquarent; ſuperficies illorum æquabiliſſima, nec foveis aut ſulcis in diſtinctas partes diviſa. Tuba Fallopiana dextra, pelvi appreſſa, mire contorta, & ſiniſtra, per ligamentum latum longius excurrens, apice adeo firmiter clauſæ erant, ut aër, qui a parte uteri non adeo difficulter intrabat, non exiret, ſed, vi majori propulſus, tubarum extremitates in rotundas veſiculas expanderet.

Verſus ſiniſtrum latus obliquus erat uterus in cadavere robuſtæ, junioris, fœminæ. Ligamentum latum dextrum longiſſimum, ſiniſtrum breviſſimum, ſic ut, vix ullo ligamento intermedio pelvis lateri adnexus videretur. Tubæ, ovaria, cum utero, uterus cum vicinis partibus, ſic concretæ erant, ut diſtingui, & absque laceratione ſeparari, non potuerint.

Inclinabat uteri fundus verſus dextrum latus in alio cada-

cadavere, ibique immobilis ferme hærebat, non tantum propter inæqualem ligamentorum longitudinem, verum etiam ob ligamentum quoddam ſupernumerarium. Differentia inter ligamenta lata unius, alteriusque, lateris inſignis erat. Ab utero verſus dextrum latus ligamentum latum, maxime expanſum, ut menſurari potuerit, vix duos pollices longum erat, in latere ſiniſtro quinque pollices ſuperabat. Non adeo notabilis inter ligamenta rotunda discrepantia, dextrum tamen brevius ſiniſtro. Ex parte poſteriore uteri, quæ cæterum inteſtino recto accumbit, a fundo ad cervicem usque, prodibat ligamenti membranacei ſpecies, ad os ſacrum tendens; ibique a latere recti in peritonæum, poſteriora pelvis integens, evaneſcebat. Uterus his de cauſis non tantum obliquum habebat ſitum, & verſus latus dextrum vergebat, ſed fundus ſimiliter retrorſum, deorſumque erat directus, orificium vero, in latere ſiniſtro conſpiciendum, altiorem, quam alias ſolet, occupabat locum. Rectum inteſtinum magis, quam in aliis corporibus, latus ſiniſtrum occupabat, ſic ut pone veſicam in latere dextro uterus, in ſiniſtro inteſtinum rectum, pone uterum nihil omnino conſpiceretur. Matricis corpori inſignis hydatis, pedunculi ope, adhærebat.

Ovaria erant admodum inſignia; ſiniſtrum tres pollices cum dimidio longum, dimidium latum, præter varias inciſuras, corpusculum quoddam, magnitudine oſſiculum ſeſamoïdeum æquans, lapideæ ferme duritiëi, monſtrabat; dextrum duos pollices longum varias eminentias, & intermedios ſulcos, habebat. Tubæ in utroque latere per membranas ovariis nexæ, & miro modo contortæ, in cœcas deſinebant veſiculas, nullis aperturis patentes. Ex utero aërem non admittebant, ſed ad mediam longitudinem in ligamenta abierant, ibi vero dilatatæ, per inflictam plagam, aëre diſtendi poterant, qui nec verſus uterum propelli valuit, nec extremitatibus, cæterum apertis, exire; ſed has in veſiculas, undique clauſas, extendebat. Uteri ſubſtantia, ſpongioſa admodum, facta ſectione, multa variæ formæ exhibebat foramina, totidem vaſorum diſſectorum orificia, compreſſo utero ſanguinem fundentia. Ex ſuperiore cervicis parte enaſcebatur corpus quoddam, tenerum, pedunculi ope ipſi adnexum, ad aperturam, qua cervix cum vagina communicat, ſeſe extendens, ſenſimque lateſcens, polypi, ut videbatur (*b*), principium. Præ-

(*b*) Conf. Levret obſervations ſur les polypes, paſſim. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. per anatom. indag. Epiſt. 46. art. 24. Tannes de polypo feliciter ex utero extracto. pag. 8.

Præter ſolita ligamenta aliud adfuiſſe Ruiſchius etiam vidit. Hic os uteri in latus ſiniſtrum retractum, fundum verſus dextrum directum, animadvertens, ſimul obſervavit tertium ligamentum, teres aut rotundum, non a fundo, ſed ex latere cervicis uteri ortum (*c*). In noſtro caſu latitudinem habebat inſignem, & cavum illud pelvis, quod pone uterum & ligamenta lata eſt, in partem dextram & ſiniſtram dividebat, ut uterus ipſe cum ligamentis latis totum cavum in partem anteriorem & poſteriorem dividit (*d*). Sive jam talia ligamenta a nativitate adſint; ſive poſtea producantur (*e*); ſive ligamentorum longitudo, ut in dictis caſibus, adeo diverſa ſit, impedimentum enaſci debet inſigne, ſi talis uterus graviditate extenditur (*f*). Vel

(*c*) Obſervat. Anat. Chir. 88. pag. 82.

(*d*) Conf. Obſervat. noſtr. lib. 1. cap. 3. pag. 56. 57.

(*e*) Sæpiſſime inter has aliasve partes membranæ ſpuriæ producuntur; in hoc ipſo corpore hepar ibi loci, ubi ab interiore veſicula fellis accrevit, per membranam ſpuriam, multum convenientem cum ligamento lato, ſic peritonæo ad diaphragma usque adnectebatur, ut ſpeciem talis ligamenti præ ſe ferret.

(*f*) In cadavere mulieris, cui, aliquoties gravidæ, venter in latere dextro præſertim intumuerat, quæ pectoris oppreſſioni, reſpirationi difficili, palpitationi cordis, fuerat obnoxia, ligamenta lata & rotunda dextri lateris multo breviora, compactiora, craſſiora vidit Littre, uterumque, licet tunc non gravidum, verſus illud latus inclinantem. Figura viſcerum omnium, dextro in latere ſitorum, admodum

Vel enim neceſſe eſt, disrumpantur, a pelvi recedant, vel uterum retineant, efficiantque, ut uteri fundus verſus latus & retrorſum magis magisque vergat, orificium vero verſus oppoſitam partem & ſuperiora dirigatur, ex qua retroverſione moleſta enasci debere ſymptomata, ſatis probatum eſt (*g*).

Peccat non tantum ſitu uterus, & diverſis malis anſam præbet, ſed ſubinde deficit (*), ſubinde duplex

dum erat mutata per uterum, in diverſis graviditatibus, verſus ſolum dextrum latus intumescentem. Hiſt. de l'Acad. des Scienc. ann. 1709. pag. 25. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 683. 684.

(*g*) Angli præprimis varias retroverſionis uteri obſervationes communicarunt. Medic. Obſervat. and Inquir. vol. 4 & 5. De illa autem optime egit, & quicquid hoc de argumento ſcitu neceſſarium eſt, collegit, obſervationibusque probavit, diligentiſſimus olim auditor, medicinam nunc hac in urbe cum laude faciens, Doct. Cuipers. Diſſ. de Retroverſione uteri Lugd. Bat. 1777. Lethalem talem caſum deſcripſiſſe Ignatium Wltczek, in diſſertatione de utero retroflexo, Pragæ 1777. defenſa, tradit Clar. Richter Chirurgiſche Bibliotheck. IV. B. 3. ſt. pag. 555.

(*) Fœminæ, inquit Columbus, cujus vulva ab aliarum fœminarum vulvis nihil peculiare & diverſum habebat, & matricis colli portio prominebat, vel matricis collo ſimile, matrix nulla erat in abdomine, neque vaſa ſeminaria, neque teſtes. Anatomes lib. 15. de iis, quæ raro in anatome reperiuntur. pag. 495. Edidit Cremonæ 1744. A. Fromond imperforatæ mulieris utero prorſus carentis obſervationem anatomicam. Clar. Klinkosch in cadavere fœminæ quadragenariæ,

plex (†) eſt, aut male conformatus exiſtit. Hiat juxta naturæ leges in parte ſuperiore vaginæ prominulum oſtium. Patent orificiis intra matricem, intra pelvim, tubæ, quas a Fallopio denominarunt Anatomici. Has vero aperturas vel multum imminutas, vel penitus occluſas viderunt.

Uterum muliebrem aſſervavit Ruiſchius, cujus os internum adeo anguſtum erat, ut ne caput quidem aci-

riæ, quæ optime ſeſe habuerat, nunquam vero menſtrua paſſa erat, genitalia externa naturali modo conſtituta, clauſam vero vaginam invenit. Aperto abdomine neque ovaria, neque tubæ, ligamenta, neque uterus detegebantur, ſed loco harum partium cylinder aderat, tres pollices longus, unicum craſſus. In alio corpore vagina & genitalia externa rite conſormata erant; tubæ & ovaria conſpiciebantur, ſed deërat uterus; ubi vero aër immittebatur alteri tubæ, parva adſurgebat veſica, per quam aër in oppoſitam perveniebat tubam. G. Hill de utero deficiente Pragæ 1777. Richter Chir. Bibl. IV. B. 3. ſt. pag. 558. Confer. Clar. Theden Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 6. obſ. 20. pag. 105.

(†) Franciscus Antonius Cattus, Anatomicus Neapolitanus, teſte Morgagno de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 3. art. 21., primam in muliere revera bipartiti uteri diſſectionem tradidit. Poſt eum varii ſimiles obſervationes annotarunt. Georg. Henr. Eiſenmann, qui ipſe tabulas anatomicas quatuor uteri duplicis dedit; Argent. 1752., multa uterorum bipartitorum, bicornium, vaginæ uterinæ vel penitus vel ex parte duplicis, exempla, collegit. His autem addi poſſunt alia. Inſpici merentur Hiſtoire de l'Acad. des Sciences ann. 1752. pag. 75. — Boehmeri Obſervat. Anatom. rar. faſc. 2. obſ. 5. pag. 58. Tab. 5. 6. — Jour-

aciculæ minoris admittere potuerit (*h*). Vidit Reinmann orificium uterinum ſub forma rotunda, globoſa, ad pollicis transverſi longitudinem in vaginam deſcendens, foraminulo rotundo hians, per quod ſtilus tenuis vix permeare poterat (*i*). Intra vaginam orificium uteri prominuiſſe naturali modo, aperturam vero nullam adfuiſſe, ſed ejus loco membranam, tena-

Journal de Medecine Tom. 6. pag. 278. —— Heuermann Phyſiologie Th. III. pag. 424. —— Act. Acad. Elect. Mogunt. Tom. 2. 451. —— Cl. Acrel in Abhandl. der Swediſchen Akad. 1761. pag. pag. 306. Geneesk. Verhandel. aan de Zweedſche Akademie medegedeeld. III. D. pag. 42. Quem caſum etiam peculiari libello, Holmiæ 1762. edito, deſcripſit; huic titulus eſt: Uterus duplex in muliere defuncta nuper detectus & iconibus illuſtratus. Addidi eundem verſioni belgicæ obſervationum chirurgicarum; Heelk. Waarn. aangetekend in het Hoſpitaal te Stockholm. pag. 559. Ipſe vero Acrellius hanc, aliasque obſervationes, quæ in prima editione non inveniebantur, ſecundæ inſeruit, cujus germanicam verſionem nuperrime dedit Clar. Murray. —— Forlani rar. obſerv. med. pract. anatom. pag. 24. Natuur-en Geneesk. Bibliotheek. IX. D. pag. 582. —— Baggart in Traité pratique de l'hydropiſie & de la jauniſſe; au quel on a joint quelques obſervations anatomiques, par Mr. Marquet. pag. 144. Nat. en Geneesk. Biblioth. IX. D. pag. 834. —— Philoſophical Transactions. vol. 64. pag. 474. —— Societatis medicæ Haſnienſis collectanea. vol. 1. pag. 146. —— Clar. Vink uterum bipartitum demonſtraſſe, refert Doct. Lentfrinck Geneesk. Tydſchrift I. D. pag. 269. 270.

(*h*) Theſaur. Anatom. 6. num. 85. pag. 45.

(*i*) Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 2. obſ. 87. pag. 347.

nacem, pellucidam, non niſi difficulter lacerandam, conſpexit Bönneken (*k*). Orificium uteri per eandem membranam, quæ vaginæ interiora inveſtit, firmiter ipſi adhærentem, fuiſſe occluſam, ſic ut binæ, parvæ admodum, aperturæ ſupereſſent, corpore uteri & collo inſigniter diſtento, notavit Littre (*l*). In fœminæ, triginta & octo annorum, ſeptimo graviditatis menſe mortuæ, cadavere, collum matricis clauſum ſubſtantia glanduloſa, corpori matricis adhærente, parvis foraminibus pertuſa, vidit idem (*m*). Parietes infimæ partis cervicis uteri, imo oſculi ipſius uterini, ſic inter ſe coaluiſſe, ut nullus, niſi forte aliquis tenuiſſimus, tranſitus ſupereſſet, in vetula notavit Morgagni (*n*). In virgine oſculum uteri, cujus prominens corona ſecundum naturam ſeſe habebat, niſi quod parvo infra osculum ſpatio corrugationem quaſi aliquam oſtendebat, peranguſtum vidit, circuli omnino forma; cum vero introſpiceret, exi-

(*k*) Frankiſche Sammlungen Band 6. pag. 397.

(*l*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences ann. 1704. pag. 27. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 113.

(*m*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences ann. 1705. pag. 2. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 202.

(*n*) De ſedibus & cauſis morborum Epiſt. 67. art. 11.

exiguo ab ipſo intervallo oculis ſe objecit membranula albida, ipſum occludens (*o*). Uteri orificium, abſque ullo apparente veſtigio cicatricis, penitus clauſum, ex virgine viginti annorum memoravit, delineavit, Boehmer (*p*).

Enarratis hactenus obſervationibus, quarum numerus augeri facile poſſet (*q*), ſuperaddenda jam ſunt, quæ ipſe annotavi.

Plenariam quidem orificii uterini obliterationem non vidi, talem tamen ipſius coarctationem, ut ne minimam quidem caperet aciculam. Uterus, qui præternaturalem hunc ſtatum exhibuit, & magnitudine & craſſitie notabilis erat. Quinque pollices longus, duos cum dimidio inter tubas latus, tantam habuit craſſitiem, ut, apertus poſtquam fuerat, & ſegmentum anterius ſublatum, externa ſuperficies ab interna octo lineas diſtaret. Prominebat orificium ſolito more intra vaginam (*r*), abſque ut ulla rima appare-

(*o*) Idem lib. cit. Epiſt. 46. art. 17.

(*p*) Obſervat. Anat. rar. faſc. 2. pag. 62. tab. 7.

(*q*) Morgagni de ſed. & cauſ. morborum Epiſt. 46. art. 20. Epiſt. 67. art. 9. Gouey la veritable Chirurgie pag. 391. Fabricius ab Aquapendente Oper. Chir. edit. Leid. pag. 575. Plater Prax. Tom. 1. pag. 575.

(*r*) Tab. V. Fig. 7. a. a. b.

pareret transverſa, ſed rotundulum erat, undique, ut videbatur, clauſum (*s*), medio circiter in loco aperturam (*t*), caput aciculæ minoris vix æquantem, & verſus interiora ſic anguſtatam, ut ſpecillum tenuiſſimum penetrare non valeret, aërem vero admitteret, monſtrans. Nullum cicatricis, prægreſſæve læſionis, veſtigium (*u*) aderat. Cervix, juſto longior, verſus inferiora contrahebatur, & in rotundulum finem deſinebat, dicto foramine pertuſum. Ovaria, præter modum turgida, extrinſecus inæqualia, intus corpuſcula varia, fuſco humore plena, continebant, quale, præter alia parva, unicum, inſigne admodum, avellanam nucem magnitudine æquans, in ſiniſtro aderat. Hydatides multæ, ſeu veſiculæ, humore plenæ, filorum ope latis adhærebant ligamentis (*v*).

Qualia & quanta mala ex tali coarctatione, vel plenaria abolitione, orificii uterini, oriri debeant, in virginibus, nuptis, gravidis, uſus partis docet.

In virginibus (*w*), quibus per hanc viam menſtruus

(*s*) Tab. V. Fig. 7. c. c. (*t*) Tab. V. Fig. 7. d.

(*u*) Tab. V. Fig. 7. d. (*v*) Conf. cap. I. pag. 9. not. r.

(*w*) Quandoque a nativitate membrana quædam adeſt, quæ vaginæ introitum claudit, libero uretræ orificio. Natura hoc in caſu ſubinde ſibi opitulatur, vel paucis a nativitate elapſis annis, ut Eſchenbach vidit

ſtruus ſanguis ſeſe evacuare debet, nil mali inde oriri, ex obſervationibus, quas Boehmer atque Bönneken memoriæ prodiderunt, forte quis concluderet. Ille enim in virgine uteri orificium penitus clauſum vidit, ſed ſimul notat, menſtrua non defeciſſe (*x*); hic fœminam, cui tenaciſſima membrana os uteri claudebat, ea fuiſſe paſſam, dicit (*y*). Adeſt etiam talis vaſorum vaginæ & uteri nexus, ut, impedito libero ſanguinis per uterum exitu, hic ſeſe per vaſa vaginæ ſubinde evacuet (*z*), ut multæ gravidæ, quandoque ad ſeptimum menſem, periodicum hunc fluxum paſſæ, probant (*a*); verum in omnibus talis vaſorum diſpoſitio adeſſe non videtur, & dicta ex cauſa nonnullis difficulter admodum fluxerunt menſes

vidit Obſervat. Anatom. Chir. Medic. rar. pag. 272. vel tunc, quando ſanguis, pone eandem collectus, hanc ita diſtendit, ut demum disrumpatur, quod in filia duo de viginti annos nata obſervavit Wierus. Chirurgia, quæ cæterum requiritur, & ad tempus catameniorum dato in caſu (id eſt libero urinæ itinere) optime differtur, facillima exiſtit. Oehme de morbis recens natorum chirurgicis. pag. 51. Goering de Hymene pag. 13.

(*x*) Obſervat. Anat. rarior. faſc. 2. pag. 62.

(*y*) Frankiſche Sammlungen Band. 6. pag. 397.

(*z*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 6. part. 2. pag. 147.

(*a*) Idem. lib. cit. pag. 143.

ſes (*b*), in aliis ſeſe omnino non manifeſtarunt, & ſymptomata, huic impeditæ excretioni adſcribenda, produxerunt (*c*). Contigit hoc in fœmina, cujus caſum deſcripſit Schützer (*d*). Hæc, elapſis decem ab ultimo partu menſibus, dolores experiebatur tantos, ut fœtum enixura videretur; facta exploratione veſica detegebatur, qualis inſtante partu ſeſe offerre ſolet, aſt craſſior; impoſſibile autem fuit, orificium uteri detegere. Hoc quippe erat concretum, & ſanguis menſtruus, intra uterum collectus, cervicem in dictam veſicam expanderat. Impulſa acu triquetra cannulata exiit ſanguis, ſanataque fœmina eſt. A binis retro annis menſtrua fuerant ſuppreſſa, ante illud tempus regularia. Videbatur poſtea orificium excoriatum & concretum. In Boehmeri etiam caſu (*e*) menſtrua tam irregularia fuerunt, ut partim per

(*b*) Littre Hiſt. de l'Acad. des Sciences ann. 1704. pag. 27. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 113.

(*c*) Joh. Nic. Binningeri Obſervat. & Curat. medicin. cent. 3. obſ. 83. pag. 355. Benevoli Heelkundige Waarneemingen pag. 1.

(*d*) Abhandl. der Schwed. Akad. 9. Band. pag. 77. Geneesk. Verhandel. aan de Zweedſche Akademie medegedeeld I. D. pag. 157. ſeq.

(*e*) Obſervat. Anat. rar. faſc. 2. pag. 62.

per unum alterumve diem cruor promanaret, partim vero per aliquot menſes hæc excretio ſileret.

Dixit itaque merito Hippocrates, os uteri quandoque occludi, ſic ut menſes occultentur, & ſummo jure ſuperaddit, illud genituram tunc non ſuscipere poſſe (*). Etenim inter ſterilitatis cauſas referri meretur rimæ transverſæ orificii uterini obliteratio (†), & docuerunt ſectiones earum, quæ per plures annos ſteriles manſerant, cauſam hac in parte delituiſſe (*f*). Locum hoc habuit in iis, quibus a nativitate nulla vel exigua admodum exſtitit dicti orificii apertura, in iis etiam, quibus, in partu difficili vulneratum, orificium poſtea concrevit (*g*).

Rariori quidem in caſu, licet vel minima orificii uterini apertura fuerit, concepit fœmina; verum tunc aliud poſtea, illudque maximum, enatum eſt incommodum, fœtus nempe maturus in lucem emitti non valuit, &, impoſſibili plane partu, matrix eſt disrupta.

(*) De natura muliebri art. 33. Edit. Linden. Tom. 2. pag. 392. De morbis mulierum lib. 2. art. 50. Tom. 2. pag. 582.

(†) Hildani Obſervat. Chirurg. Cent. 1. obſ. 65. pag. 51. Gaubii Inſtit. Pathol. medicin. pag. 459. Roederer Elem. art. Obſtetr. pag. 62.

(*f*) Littre Hiſt. de l'Acad. des Sciences ann. 1704. pag. 27. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 113.

(*g*) T. Bartholini Hiſt. Anatom. rar. cent. 2. hiſt. 31. pag. 201. Hartmann Eph. Nat. Cur. Dec. 2. an. 5. obſ. 67.

pta. Diſſecuit Hildanus cadaver gravidæ, quæ totos undecim dies parturiverat, orificio uteri adeo anguſto, ut fœtus exire non valuerit, invenitque matricem laceratam, caput vero fœtus in lævam ventris capacitatem dimiſſum (*h*). Conceperat fœmina, licet membrana tendinoſa orificium uteri, qua vaginam reſpicit, adeo anguſtum reddiderat, ut calamum ſcriptorium vix admitteret; exactis novem geſtationis menſibus molimina partus inſtantis percepit, ſed, fœtum expellere non valens, miſere ſuccubuit. Invenit Weiſius in ſiniſtro matricis latere inferiore, ſub inſertione ligamenti lati, rupturam tantæ amplitudinis, ut pugnum manus facile transmitteret; magna effuſi grumoſique ſanguinis copia hærebat ſub peritonæo, & intra duplicaturam ejus, circa alas veſpertilionum, in membrana celluloſa pelvis, collecta ad oſtium rupturæ uterinæ. Membrana, quæ oſtium arctabat, tenax, tendinea, aponeurotica erat (*i*). Facta tamen, ſimili in caſu, aut quando, conceptu facto, poſtea concretum erat orificium (*k*), operatio,

(*h*) Obſervat. Chirurg. Cent. 1. obſ. 64. pag. 51.

(*i*) Hiſtoria partus impediti ex membrana tendinoſa, os uteri internum arctante, in Theſaur. Diſſert. vol. 2. pag. 75. ſeq.

(*k*) Tale quid accidiſſe videtur in caſu, quem narrat Gouey, la veri-

tio, apertum ſectione matricis oſtium eſt, eo effectu, ut mater a fœtu liberata ſit (*l*), aut & mater & fœtus ſupervixerint (*m*), ſicque probatum eſt, medelam non eſſe impoſſibilem, ut Fabricius ab Aquapendente (*n*) voluit.

Non

veritable chirurgie pag. 391. Octavo menſe gravidam examinans nullum detexit matricis orificium, ſed intra vaginam propendens corpus rotundum, admodum glabrum; peperit menſe elapſo filiam, partum vero hæmorrhagia vehemens præcedebat.

(*l*) Simſon Medic. Eſſays by a Society in Edinburgh vol. 3. art. 19. pag. 291. Os uteri poſt difficilem partum & conceptum, tertio ab hoc partu menſe factum, penitus concreverat; fœtus jam antea mortuus per anguſtam pelvim inſtrumentis protrahi debuit; mater, dolore pleuritico correpta, non ſupervixit.

(*m*) Schutzer Abhandl. der Schwed. Akad. 29. Band pag. 315. Geneesk. Verhandel. IV D. pag. 54. ſeq. Filamenta carnea concreti orificii acumine catheteris muliebris ſeparavit, poſtquam hoc orificium uteri pertranſiit, varia ratione catheterem movit, donec indicem potuerit immittere. Bis cum ſucceſſu eandem operationem peregit. In altero caſu orificium ſex circiter ſeptimanis ante partum apertum reperit, ſed tribus ſeptimanis ante partum vehementer doluerunt genitalia, ut ea tangi & inquiri gravida vetuerit; adhibitis cataplasmatibus, medicamentis reſolventibus, enematibus, fœtor putridus cum ſanie ex vagina uteri prodiit, reſtituta paulo poſt ægra injecto decocto Altheæ cum melle roſarum. Videtur ulcus fuiſſe circa orificium uteri, & oſtium excoriatum, concretum. In altero caſu fœmina tempore graviditatis nihil extraordinarii ſenſit, niſi ſummam genitalium ſiccitatem.

(*n*) Oper. Chirurgic. pag. 575.

Non ſolum in enarratis ſupra caſibus, ſed etiam in utero fœminæ, quæ plures peperiſſe videbatur infantes, tubas Fallopianas in extremitatibus clauſas, vel in ligamenti ſpeciem mutatas, vidi, quam ſterilitatis cauſam etiam adnotarunt alii (*o*), delinearunt nonnulli (*p*). Memorarunt quidem varii reiteratum conceptum, non obſtante coalitione tubæ (*q*), aut in iis, quæ plures infantes in lucem emiſerant, tubarum clauſuram viderunt, adeoque de hac ſterilitatis cauſa dubitare videntur (*r*), vel & eam plane negant

(*o*) Mercklinus Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 1. obſ. 183. pag. 425. Littre Hiſt. de l'Acad. des Sciences an. 1704. pag. 21. Collect. Acad. part. franc. Tom. 2. pag. 110. Tulpius Obſervat. Medic. lib. 4. cap. 44. pag. 349. Haller. Opuſc. Pathol. obſ. 49. Oper. min. Tom. 3. pag. 345. Fantonus Anatom. corp. hum. diſſ. 10. pag. 216. Weitbrecht Comment. Acad. Scient. Petrop. Tom. 4. pag. 261. Schreiber Epiſt. ad Hallerum ſcript. vol. 2. pag. 97. Torraca Ibid. vol. 6. pag. 5. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 7. part. 2. pag. 108. qui & alios auctores excitat. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 29. art. 16. Epiſt. 67. art. 9.

(*p*) Lettre de A. Cyprianus raportant l'hiſtoire d'un fœtus humain de 21. mois, detaché des trompes de la matrice. Amſt. 1707. tab 2. cum hac figura a B. ad C. adeo perfecte conveniebant tubæ uteri, tertio loco pag. 60. hoc in capite deſcripti, ut dicta, hac icone, optime illuſtrentur. Conf. De Graaf Oper. omn. tab. 19. fig. 3.

(*q*) Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 1. obſ. 183.

(*r*) Conf. Weitbrecht Comment. Acad. Scient. Petrop. Tom. 4. pag. 261.

gant (*s*). Sed, ſi ad enarratos caſus rite adtendimus, vel non occluſæ fuerunt tubæ (*t*), vel in unico tantum latere via hæc obliterata fuit, vel poſt plures conceptus, enixosque infantes, ſuborta inflammatio, quam excoriatio, ſuppuratio, concretio, ut vaginæ (*u*), ſic internarum etiam partium, inſequuta eſt, poſteaque ſteriles manſerunt tales fœminæ. Vidit hoc Cyprianus in foemina, quæ ex quarti partus difficultate incidit in graviſſimam uteri in-

(*s*) M. Naboth de ſterilitate mulierum Lipſiæ 1707. §. 12. in Halleri Diſput. Anat. vol. 5. pag. 245.

(*t*) In plurimis caſibus, in quibus, cum occluſas primo tentamine exiſtimaſſet tubas, Morgagni, poſt accuratiorem perquiſitionem, revera fuiſſe pervias, animadvertit. Adverſ. Anatom. 1. n. 30. De ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 46. art. 25.

(*u*) Minime rara, poſt partum difficilem & laborioſum, totius viæ, per quam tranſiit fœtus, concretio. Novit Harvæus mulierem, quæ hac de cauſa integrum vaginæ ambitum interiorem laceratum & excoriatum habuit; adeo ut, finito puerperio, licet gravida denuo fieret, tamen non ſolum orificii pudendi latera juxta nymphas coalescerent, ſed totius quoque vaginæ cavitas, usque ad internum matricis oſculum, prorſus connaſceretur, unde nec virili membro, nec ſpecillo quidem, ingreſſus patuit. Inſtante pariendi tempore, torquebatur perquam miſeris modis, omnemque ſpem deponendi ſarcinam abjecerat. Inopinato autem, robuſti admodum fœtus ſummo conamine, totus ille tractus disrumpitur, ſitque inſperatus partus, & validus infans ſibi matrique ſuæ ſalutis autor exſtitit, viamque apertam aliis poſt naſcendis reliquit. De generat. animal. Oper. Omn. Tom. 2. pag. 360.

inflammationem, vehementi dolore in abdomine & circa renes ſtipatam, & ab eo tempore ſterilis fuit; in hujus cadavere, cauſam ſubitaneæ mortis quæſiturûs, extremitates tubarum clauſas, contractas, invenit, & ſterilitatis fontem detexit (*v*).

Recte ea propter monet Manningham, quamplurimas mulieres propter abortum ſeu partum difficilem ſteriles evadere, ob inſignes lacerationes, quæ uteri diſpoſitiones omnino evertunt, &, mulierum mortuarum autopſia non raro obſervari, docet, tubas Fallopianas non ſolum circa uteri introitum claudi & cohærescere, ſed etiam circa extremitatem earundem fimbriatam, & magis apertam (*w*). Merito etiam Ruiſchius, per morbos tales concretiones contingere, innuit, nunquam vero conſtitiſſe, adfirmat, fœminas, poſtquam utraque tubarum penitus concreverat, concepiſſe (*x*).

Hæc cum ita ſint, probabilis maxime redditur, adſcriptus hodie tubis, uſus, in eo ſitus, quod tempore coitus ex ovariis ad uterum fœcundum transmittant ovum, cui opinioni viſa tubarum ad ovaria con-

(*v*) Lettre pag. 22. 23.

(*w*) Artis Obſtetr. Compend. pag. 58. 59.

(*x*) Adverſar. Anatom. prim. pag. 67.

contorſio, fœtus in tubis reſidentes (y), ſimiliaque anſam dederunt (z).

(y) Conf. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 27. 47. B. Patuna Epiſt. Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 328. n. 2. Breverus, chirurgus Lipſienſis, e tuba fœminæ, per novem menſes gravidæ, verisque ad partum doloribus correptæ, ſectionis cæſareæ ope, fœtum exemit, qui, mortuus licet, tamen ita perfectus fuit, ut videretur paucas ante horas vitam cum morte commutaſſe. Burdach de læſione partium fœtus nutritioni inſervientium, abortus cauſa. Lipſiæ 1768. pag. 17. not. s.

(z) Conf. de Graaf de mulierum organis generationi inſervientibus cap. 14. Oper. omn. pag. 330.

## CAPUT TERTIUM.

### *De ovo humano absque ullo fœtus indicio, & placentæ in hydatides degeneratione.*

Multas morborum cauſas in occulto manere, & vel optimorum medicorum ſagacitatem eludere, alibi probatum eſt (*a*); illas vero, quibus fœtuum, in uteris maternis delitescentium, mortes adſcribendæ ſunt, vix unquam detegi poſſe, dolent ſæpiſſime medici (*b*). Evenit aliquoties extingui fœtum, retineri

(*a*) Obſervat. har. lib. 1. cap. 1. pag. 1. 9.

(*b*) Conf. egregia Cel. Acrellii Oratio; Tal om foſtrets sjukdomar i moderlifvet haollit for Kongl. Vetenskaps Academien af Olof Acrel. Stockholm. 1750.

ri ovum per longum temporis ſpatium, demumque expelli, ſic ut, dum ſeſe per plures menſes gravidas crediderunt fœminæ, abortu fœtum rejiciant, qui, paucas tantummodo ſeptimanas vixisſe ſe, magnitudine partium probat (*c*). Evenit, tenerrimum hominis primordium in ipſo principio deſtrui, procrescere ovum, hoc integrum rejici, apertum dein nullum exhibere fœtum (*d*). Sic ſæpius exorta videntur ova, inania dicta, quæ aliquoties a fœminis eduntur, aut in utero reperiuntur, ſimillima verorum ovorum, in quibus membrana eſt, villos undique explicans, & humor, præterea vero nullum embryonis veſtigium (*e*); licet ex obſervationibus, quas enarrant, videatur poſſe concludi, quandoque vere ina-

(*c*) Mauriceau Obſervat. ſur la groſſeſſe & l'accouchement des femmes. obſ. 233. 314. 338. 367. 485. 647. Dern. Obſerv. 49. 64. 135. Ruisch Adverſ. Medic. dec. 2. pag. 29. Hebenſtreit ſun. umbilic. human. pathol. §. 8. in Halleri Diſput. Anat. vol. 5. pag. 691. Noortwyk Hiſt. uteri gravidi pag. 121. Conf. C. Rickmann vera molarum theoria §. 11. 12. 13. pag. 18.

(*d*) Inſp. Burdach de læſione partium, fœtus nutritioni inſervientium, abortus cauſa. pag. 9. Delius Beobachtungen und Unterſuchungen, welche das geſchäfte der Erzeugung, und die Geburtshulfe betreffen. pag. 12. 14.

(*e*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 65. Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 9. pag. 185.

inania ova, vel ſola (*f*), vel una cum fœcundatis (*g*), fuiſſe rejecta. Priorem forte opinionem probare poterit ovum, de quo nunc dicendum eſt.

Quæ jam antea quinque vivos infantes, & ex his unum, integerrimis ovi velamentis incluſum, in lucem emiſerat, & ſemel abortierat, triginta trium annorum fœmina, eodem, quo abortum paſſa erat, anno, rurſus gravidam ſeſe putat, menſtruis per binos & ultra menſes ſeſe non manifeſtantibus. Undecima ab ultimo eorundem fluxu ſeptimana, ſanguinem ex genitalibus ſtillantem animadvertit, accedunt abdominis, lumborum, dolores, & tertio die maſſam quandam, carneam quaſi, & concreto ſanguini non abſimilem, rejicit. Maſſæ hujus (*h*) forma erat oblongo-rotunda, ſuperiore parte latior (*i*), inde ſeſe contrahens (*k*), & parvo foramine in apice hians (*l*). Superficies exterior, quæ uteri ſuperficiëi

(*f*) Delineavit Burdach ex Collect. Clar. Waltheri tale ovum, a fœmina, quæ olim partum ediderat, quinto menſe rejectum. Hoc, in ſpiritum vini rectificatiſſimum immiſſum, liquore lymphatico intus contento coagulato, apertum, nullum fœtus vel funiculi umbilicalis exhibuit veſtigium libel. cit. fig. 1.

(*g*) Delius lib. cit. obſ. 4. pag. 22.

(*h*) Tab. VI. Fig. 1. 2.

(*i*) Tab. VI. Fig. 1. b. b. c.

(*k*) Tab. VI. Fig. 1. inter c. &d.

(*l*) Tab. VI. Fig. 1. d.

ciëi internæ adhæſerat (*m*), inæquabilis erat, hinc magis prominens (*n*), illinc iterum depreſſa (*o*). In ſuperiore parte verum conſpiciebatur ovum (*p*), liquore diſtentum (*q*), flocculenta ſubſtantia, in aqua ſeſe egregie explicante, obſitum (*r*). Immiſſo per dictam aperturam (*s*) aëre, tota maſſa, ovo excepto, expandebatur. Inde autem ſurſum facta ſectione (*t*), æquabilis interna deſcriptæ maſſæ ſuperficies apparebat (*u*), intra quam ovum verum (*v*), reflexa interiore hujus maſſæ ſuperficie tectum (*w*), prominebat. Maſſa illa, verum ſaccum referens, erat ergo decidua (*x*); pars, quæ ovi mucronem inveſtiebat, decidua reflexa (*y*). Ovum, hactenus ſuo liquore diſtentum, omni cautela apertum (*z*), nullum omnino exhibuit fœtum, verum interiori amnii ſuperficiëi, partique laterali, adhærebat veſicula, humore plena, in cœcum finem deſinens (*a*), unde tene-

(*m*) Tab. VI. Fig. 1. f. f. g.
(*n*) Tab. VI. Fig. 1. f. f.
(*o*) Tab. VI. Fig. 1. g.
(*p*) Tab. VI. Fig. 1. a. b. b.
(*q*) Tab. VI. Fig. 1. a.
(*r*) Tab. VI. Fig. 1. b. b.
(*s*) Tab. VI. Fig. 1. d.
(*t*) Tab. VI. Fig. 2. c. d. c.
(*u*) Tab. VI. Fig. 2. e. e.
(*v*) Tab. VI. Fig. 2. f. f.
(*w*) Tab. VI. Fig. 2. g.
(*x*) Tab. VI. Fig. 1. c. d. e. e. f. f. g. 2. c. d. c. e. c.
(*y*) Tab. VI. Fig. 2. f. g. f. Conf. cap. prim. pag. 42.
(*z*) Tab. VI. Fig. 3. a. a. b. c.
(*a*) Tab. VI. Fig. 3. d.

tenerum producebatur filamentum (*b*), quod ad aliquam ab hac veſicula diſtantiam in ovi membranam internam deſinebat (*c*).

An in hoc, an in ſimili caſu, quem notavit Delius (*d*), nunquam adfuit fœtus? An vero periit, & funiculi umbilicalis pars relicta in dictam veſiculam expanſa eſt? Non improbabilis poſterior videtur ſententia, ſi ad aliud attendo ovum, abortu eliſum, quod eo, quo per genitalia tranſiit, tempore, disruptum, amnii liquorem emiſit, dein examinatum longitudinem exhibuit trium & ultra pollicum, fœtum vero adeo parvum, conſumtum ferme, ut digiti minimi unguem vix magnitudine ſuperaret, dum funis longus admodum & inæqualiter diſtentus erat. Hæc autem veriſimilior redditur opinio, quum funiculus umbilicalis tot veſiculis præditus quandoque occurrit, ut totus videatur concatenatio veſicularum, aqueo humore refertarum; quale quid Ruiſchius vidit (*e*). Ferme conſumtus, exiguus admodum, fœtus erat, funiculus in plures veſiculas diſtentus, quarum illa, quæ ovo propior, talem ferme figuram habuit, qualem

(*b*) Tab. VI. Fig. 3. e. (*c*) Tab. VI. Fig. 3. f.
(*d*) Lib. cit. obſ. 9. pag. 32. 33.
(*e*) Obſ. Anat. Chir. 14. pag. 15. fig. 15.

lem veſicula ſupra dicta in noſtro caſu. Tantæ magnitudinis erant ſecundæ, ut in foetu trium menſium raro majores, craſſiores, inveniantur.

Eadem illa, de qua jam mentionem feci, foemina, hoc ipſo anno iterum abortum paſſa, ovum rejecit, quo etiam non niſi talis veſicula (*f*) continebatur, ex qua filum (*g*) prodibat, libere intra ovum fluctuans. Conſumtus ſine dubio maximam partem foetus perierat una cum liquore amnii, diſruptum etenim ovum examini traditum eſt, & filum fine ſuo videbatur lacerum.

Infoecunda talia & inania ova, in utero aliquamdiu retenta, foecundata etiam, ſi foetus perit, & vel totus conſumitur, vel, nullum amplius incrementum capiens, in eodem perſtat ſtatu, reliquæ vero partes omnes aliquamdiu increſcunt, originem præbent hydatidibus, de quibus mentionem faciunt multi (*h*), quæque vel ſolæ (*i*), vel una cum corrupto foetu

(*f*) Tab. VI. Fig. 4. a a. b. (*g*) Tab. VI. Fig. 4. c.

(*h*) J. M. Hoffmann Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 6. obſ. 164. ubi in adjecto ſcholio plures caſus, huc referendi, colliguntur; quemadmodum fecit etiam Hallerus in notis ad Prælect. Boerhaavii ad proprias Inſtit. Medic. Tom. 5. part. 2. pag. 287. 288. & Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 231. 232.

(*i*) Nouvelles de la republique des Lettres. Nov. 1684. art. 12.

tu (*k*) expelluntur, aut & per annos etiam in corpore retinentur (*l*).

Vaſa, quæ ovum ambiunt, hoc modo degenerare poſſe, docet ovum, inter Albiniana præparata adſervatum, quod & deſcripſit & delineavit, ſummus hicce & Anatomicus & Phyſiologus (*m*); probat figura, quam dedit Burdach (*n*); confirmat ulte-

Collect. Acad. part. etrang. Tom. 7. pag. 400. Mauriceau Obſervat. ſur la Groſſeſſe & l'accouchement des femmes. obſ. 367. dern. obſ. 107. Tulp. Obſervat. medic. lib. 3. cap. 32. pag. 235.

(*k*) Locum hoc habuit in caſu, quem Valisnerius obſervavit, & ipſius nomine Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 9. obſ. 38. inſeruit Lanzonus; Valisnerius ipſe vero in Ephem. Cent. 3. obſ. 32. deſcripſit. Sex millia ad minimum talium veſicularum una cum imperfecto fœtu excreta ſunt. Conf. Malpighii Oper. Poſth. pag. 87. edit. Lond.

(*l*) Videtur hoc patere ex Obſervatione Loſſii. Hic enim in viduæ quadragenariæ, quæ molam, abdomine utriformi, hydropicorum inſtar, geſtavit in utero ſex plus minus annis, ſine ullo incommodo aut periculo, præter moleſtiam, ex pondere perceptam, cadavere invenit ingentem molam rotundam, ex plurimis veſicis, juglandis magnitudine compoſitam, quæ admodum erant craſſæ & tenaces, aqua repletæ, obductæ & intertextæ multis fibroſis ligamentis. Adnata undique erat utero mola hæc, ut cultello minime ſeparari potuerit, quindecim fere libras ponderans. Venter in majorem tumorem, quam gravidis ſolet, fuerat elevatus. Obſervat. Medic. lib. 4. obſ. 16. Edit. Lond. 1672. pag. 359.

(*m*) Annot. Acad. lib. 1. tab. 3. fig. 1. pag. 69.

(*n*) Lib. cit. §. 3. pag. 10. fig. 1.

terius Wrisbergii Obſervatio (*o*). Hic enim in abortivo embryone quatuor menſium integrum ovum innumeris veſiculis obſeſſum vidit, majori copia illam ovi partem occupantibus, ubi placenta erat, minori reliquam velamentorum partem; ſicque conjectura Morgagni probabilis redditur (*p*). Sed præprimis placenta vel tota vel maximam partem in hydatides mutatur, quando fœtus dudum antea plane periit, ſolæ ſecundæ vero retentæ ſunt, vel & tali in caſu, ubi foetus in utero manet, & poſtea naturali partu expellitur.

Foemina, quæ quintum graviditatis menſem attigiſſe videbatur, doloribus ventris correpta, ſanguinemque ex genitalibus fundens, abortum inſtare credit; vocatus, præter ſummam quietem, præſcripſi talia, quæ motum humorum refrænare, abortum præcavere, poſſent. Perſtiterunt non tantum dolores, ſed & aucti ſunt, demumque expulſa hydatidum, invicem cohærentium, inſignis admodum copia. Nullus viſus foetus eſt, etiamſi cuncta, quæ rejecit foemina, accurate ſint examinata; periiſſe itaque, foetum, aut antea expulſum, in utero relictam placen-

(*o*) Nov. Comment. Gôtting. Tom. 4. pag. 73.
(*p*) De ſed. & cauſ. morb. epiſt. 48. art. 13.

centam eſſe, & in has hydatides degeneraſſe, credibile. Aderat medius quaſi diſcus (*q*), compactus, non niſi in ſuperficie parvas veſiculas (*r*) offerens, aſt ab eo verſus omnem ambitum hydatidum racemi progrediebantur (*s*). Veſiculæ hæ omnes turbido, albido tamen, humore plenæ, a pedunculis dependentes, pedunculorum ope inter ſe cohærentes, magnitudinis erant admodum diverſæ (*t*). Vaſa his originem dediſſe veſiculis, probatu non difficile erat; rami enim vaſorum ſupererant plurimi (*u*), ortum aliis præbentes, qui nunc contracti & in ligamenti ſpeciem mutati (*v*), nunc in veſiculam ſeu hydatidem expanſi (*w*) erant, unde iterum aliæ, plures, pauciores, dependebant, veſiculæ (*).

Simile quid foeminæ, ſeptem, ut putabat, menſes gravidæ, & hæmorrhagiam uteri per menſem paſſæ, accidiſſe legitur (*x*), & in alia, quæ ſextum jam expleviſſe menſem putabat, idem eveniſſe, notat Mauriceau (*y*). Con-

(*q*) Tab. VI. Fig. 5. a.
(*r*) Tab. VI. Fig. 5. b. b.
(*s*) Tab. VI. Fig. 5. c. c. c.
(*t*) Tab. VI. Fig. 5. d. d. d.
(*u*) Tab. VI. Fig. 6. a.
(*v*) Tab. VI. Fig. 6. b. b.
(*w*) Tab. VI. Fig. 6. c. c.
(*) Tab. VI. Fig. 6. d. d.
(*x*) Nouv. de la republique des Lettres. &c. Collect. Acad. part. etrang. Tom. 7. pag. 400.
(*y*) Mauriceau lib. cit. obſ. 367.

Contingit hæc mutatio in placentis minorum & majorum foetuum. In placenta foetus humani, trium fere menſium, quæ per aliquot tempus in utero fuerat relicta, poſt fœtus excluſionem, initia hujus mutationis vidit Ruiſchius (*z*). In placenta, quæ poſt partum naturalem per breve temporis ſpatium fuerat relicta, idem animadvertit Wrisberg (*a*), vocatus, ut parienti, quæ naturaliter, fœtu licet mortuo, pepererat, aſt ſecundinarum retentione laborabat, auxilium ferret. Quatuordecim jam elapſæ erant horæ, antequam adveniret, attamen tam parum ſanguinis toto illo tempore erat profuſum, ut, niſi fœtum vidiſſet, de peracto partu dubitaſſet. Abdomen, ſatis turgens adhuc, verſus ilia ſiniſtra præcipue eminebat; dolores poſt partum debiles erant. Funiculum flaccidum manus ſequuta orificium uteri ſatis amplum, ſecundinas vero cyſtidi, in latere ſiniſtro hærenti, incluſas invenit, quam manus facili negotio penetrare, & liberam placentam educere poterat. Per dimidiam & quod excurrit horam manus in utero retinenda erat, donec æquabiliter ſeſe contrahere inciperet. Variis in locis lobulorum placentæ

(*z*) Theſ. Anat. 6. n. 102. tab. 5. fig. 3. 4.
(*a*) Nov. Comment. Götting. Tom. 4. pag. 72.

tæ nexus erat ſolutus, quaſi jam per aliquod tempus macerationi in aqua ſecundinæ commiſſæ eſſent, alii vero lobuli molliusculam, ſanguine fartam, texturam retinuerant. Quum integram placentam aqua eluere vellet, in reſolutis illis lobulis copiam hydatidum, ſeu veſicularum, ſuper 180 vidit, quæ magnitudine omnino differebant; maximæ avellanam nucem non ſuperabant, in minimis vaſorum diameter vix aucta cernebatur. Notat etiam Schurigius (*b*), fœminam, poſt aliquot liberos editos, denuo partui proximam, ob nimiam abdominis expanſionem, ſe gemellos vel trimellos geſtare credentem, poſt excluſionem fœtus, ab ingenti hydatidum copia, pondus quatuor librarum ſuperante, inſtar racemorum, ſibi invicem connexorum, fuiſſe liberatam.

Duplex hydatidum, in placenta repertarum, genus eſſe, contendunt (*c*), alias, quæ potiſſimum poſt fœtum excluſum in placentæ parte, in utero relicta, oriuntur, in cellulоſa tela poſitas eſſe, rotundas, & ſeparatas quaſi a vaſis, alias, quæ vivo adhuc foetu generatæ, mortis ejus cauſam efficiunt, minores eſſe, & vaſculis, tanquam petiolis, appenſas. Licet au-

(*b*) Embryol. Sect. 7. cap. 3. pag. 699.
(*c*) Burdach lib. cit. pag. 23. not. k.

autem ex celluloſa oriri poſſe hydatides (*d*) non negem; tamen longe frequentius etiam in iis caſibus, ubi poſt foetum excluſum producuntur, ex vaſis oriri videntur, quæ per intervalla conſtringuntur & laxantur, & per conſequens vel in filamenta concreſcunt, vel in veſiculas intumescunt. Manifeſto cernere potuit Wrisbergius (*e*), has veſiculas mutata vaſa eſſe, dum in multis vaſorum trunci, facta hydatidis ampulla, in minores ramos dividerentur. Materies apta, per arteriam umbilicalem impulſa, id præſtitit, ut vaſorum truncos nonnullos patefaceret, ex quorum dilatatione veſiculæ erant enatæ. Ruiſchius (*f*) jam ſtatuit ex iis, quas vidit hoc modo vel integre, vel pro parte, degeneratas, placentis, hydatides eſſe extremitates vaſorum ſanguiferorum, quæ priorem ſuam mutaverant naturam, atque in vitioſam degeneraverant fabricam (*g*). Adſtipulatur huic

(*d*) Conf. J. Grashuis de natura, ſede, & origine hydatidum disquiſitio, quæ accedit tentamini de colica pictonum pag. 77. ſeq. Acrel Tal om foſtrets ſjukdomar. pag. 35.

(*e*) Comment. citat. pag. 73.

(*f*) Adverſar. Anat. prim. pag. 7.

(*g*) In Obſervat. Anatom. chir. 33. pag. 32. alium hydatidibus hisce ortum adſcripſit, &, nil aliud eſſe, ſibi videri dixit, quam minutiſſimas glandulas placentæ degeneratas. In Theſaur. 6. n. 104. pag. 48.

huic ſententiæ Hallerus (*h*), &, placentam veſiculoſam, non quod adeo rara aut indicta ſit, ſed quod caſus ita tamen vulgaris haberi non poſſit, quin recenſeri mereatur, deſcribens, monet, placentam naturam disci retinuiſſe, ex quo petioli unciales, ſemilineam & ultra lati, numeroſi provenerunt; iis petiolis adhærebant veſiculæ albæ, ita ſibi innexæ, ut ipſe finis unius petioli alteram veſiculam, & ita porro produceret; ultimus denique cujusque petioli finis veſiculæ ſimilis erat; ex una veſicula propendebant aliæ numeroſæ, diviſis & ſubdiviſis petiolis; in medio diſco veſiculæ, pariter ſibi innexæ, erant. Verſabatur hac in opinione etiam incomparabilis Albinus, qui in muſeo ſuo placentæ partem, ſic mutatam, adſervans, adſcripſit; hydatides eſſe ipſas arterias & venas per intervalla contractas in ligamentorum

48. dicit, inter vaſorum ſanguineorum tunicas dari celluloſam, cujus cellulæ, in ſtatu præternaturali, ſi repleantur latice aquoſo, cavitatem vaſorum ita premi, ut nihil cavitatis ſupermaneat, & ſic obliterari non ſolum minora, ſed & majora vaſa. Conſtat inde Clar. hunc virum varias foviſſe hac de re ſententias, ſed demum ex omnibus obſervatis concluſiſſe, vaſis degeneratis adſcribendas eſſe hydatides; Obſervationes enim Anatomico-chirurgicæ prodiere 1691. Theſaurus ſextus 1705. & Adverſaria prima. 1717. Conf. Halleri Bibliotheca Anatomica. Tom. 1. pag. 530. 533. 534.

(*h*) Opuſc. Pathol. obſ. 48. Oper. min. Tom. 3. pag. 344.

rum ſpeciem, per intervalla dilatatas in hydatides; ſupereſſe vaſorum ſpecies; hydatides plerasque oblongas, vaſorum ſpeciem retinere; a trunco, qui ſupereſt, ligamentum procedere, mox hydatidem, a cujus longiore parte ligamentum, & mox hydatidem minorem, ac ſic porro, ut trunci paulatim decrescunt; ab hydatidibus majoribus veluti ramos procedere, ſenſim decrescentibus ligamentis & hydatidibus; ab iis eodem modo ramorum minorum ſpeciem; vaſa ſubinde per intervalla contractiora, per intervalla dilatatiora; ſupereſſe ramos, quibus loco ramorum minorum ligamenta appenſa, cum hydatidibus (*i*). Quæ omnia cum ſeſe ita habeant, nemo, hydatides his in caſibus ex vaſis oriri, negabit; præſertim ſi cum Vallisnerio (*k*) animadvertit, ramos, quibus appenduntur veſiculæ, ſæpe multis in locis cavos eſſe, ſic ut, immiſſo per ſiphonem aëre, intumescant, aër in laterales minores ramos ſe inſinuet, deinde in alios minores, & tandem in minimos, donec ad extremas veſiculas perveniat.

C A-

(*i*) Suppel. Anatom. B. S. Albini. pag. 123. Depicta etiam talis hydatidum ab uno trunco ortus in Malpighii Oper. poſth. pag. 87. tab. 11. fig. 6. Conf. noſtræ Tabulæ VI. Fig. 7.

(*k*) Eph. Nat. Cur. Cent. 9. obſ. 73. pag. 165. 166.

## CAPUT QUARTUM.

### *De placenta duplici; rariori funis umbilicalis cum illa nexu; veris nodis in fune viſis.*

Quæ nutritiis particulis refertum ſanguinem fœtui per funem umbilicalem tradit, redeuntem a fœtu admittit, Placenta varietatibus multis, una cum fune, parte & fœtus & placentæ dicendo, obnoxia eſt. Rariores examinare licuit, communicaſſe non displicebit.

Licet in convexa, quæ uterum adtingit, placentæ ſuperficie, varii majores, minoresque, diſtinguuntur lobi, qui, ſibi appoſiti, ſulcos, ad medium ferme placentæ penetrantes, relinquunt, unicum in genere corpus format (unicum quandoque in geminis & trimellis (*a*)), rotundulum, nunc huic nunc illi

(*a*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 224. not. t. 225. not. z. Schurigii Embryol. ſect. 1. cap. 3. pag. 96. Quilibet ex tribus fœtubus peculiari funiculo diſtincto umbilicali gaudebat, ſed non procul a placenta, ad inſtar trium ramorum, concurrebant, & truncum, tres digitos latum, valde craſſum, conſtituebant. Conf. Slevogt de incerta placentæ uterinæ ſede. Jenæ 1710. pag. 2. Beſler Obſervat. Anatom. Medic. trigeminorum. H. Boerhaave Method. Stud. Medic. ed. Hallero Tom. 1. pag. 388.

illi matricis parti ſeſe adnectens (*b*); & rara ſunt, Hallero teſte (*c*), exempla diviſarum placentarum; digna itaque, quæ deſcriberentur, ſi talia occurrerent, cenſuerunt eruditiſſimi viri.

In binas partes diviſam placentam Mauriceau (*d*), Roederer (*e*), Adolph (*f*), Krugelſtein (*g*); in tres Rohault (*h*), Schwencke (*i*); in quatuor Hobokenus

(*b*) Conf. cap. 1. pag. 33.

(*c*) Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 225.

(*d*) Obſervat. ſur la groſſeſſe & l'accouchement. obſ. 309. Ad diſtantiam transverſi digiti a placenta, ſolito modo conſtructa, conſpiciebatur corpus ejusdem ſubſtantiæ, tres digitos longum, membranæ ope placentæ adnexum. Dern. obſ. 66. pag. 31.

(*e*) Adfirmat ſaltem, placentæ adhærere quandoque appendicem. Diſſ. de fœtu perfecto §. 5. Opuſc. part. 1. pag. 75. & aliquoties vidiſſe ſe, placentæ majori minorem adhæſiſſe, adfirmat Schwencke Verhandel. van de Maatſchappy te Haarlem. IV. D. pag. 147.

(*f*) Diſſ. de infanticidii notis ſectione legali detegendis. Helmſt. 1764. §. 4. pag. 19. 20.

(*g*) Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 3. obſ. 9. pag. 45.

(*h*) Mem. de l'Acad. R. des Sciences année 1715. pag. 99. Collect. Acad. part. franc. vol. 4. pag. 420. Partes magnitudine inæquales erant; quæque ex minoribus & arteriam & venam habebat.

(*i*) Lib. cit. IV. D. pag. 141. Duplex proprie erat placenta, ac binæ partes intermedia tertia cohærebant; latitudo decem pollicum erat, altitudo quinque.

nus (*k*); in ſeptem Kerkringius (*l*), Haller (*m*), Wrisberg (*n*), viderunt.

Cum placenta, quam deſcripſit, citato jam loco, Clar. Schwencke, quodammodo convenit illa, quam a fœmina primipara expulſam vidi. Tumidus adeo venter gravidæ fuerat, ut gemellos ſeſe geſtare crediderit. Funis erat prælongus, craſſus, plurimis tuberculis obſeſſus. Placenta non, ut ſolet, ſimplex, ſed revera bifida. Partes, in quas diviſa erat, non multum ab invicem magnitudine differebant, ſed ferme æquales deprehendebantur, ſic tamen ut altera portio circiter quinque, altera quatuor, pollices longitudine æquaret, illa quinque pollices cum dimidio,

(*k*) Anat. ſecund. human. ſect. 1. cap. 200. & 511. fig. 25. Præter placentam ipſam tres placentulæ, ab ipſa remotæ, aderant.

(*l*) Obſervat. Anatom. 27. Oper. Omn. pag. 80.

(*m*) Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 225.

(*n*) Novi Comment. Societ. Götting. Tom. 4. pag. 73. In majorem placenta ſuperficiem erat expanſa, cum ſeptem quaſi minores placentulæ, in quas diviſa apparebat, mediante chorio cohærentes, vacua intervalla inter ſe relinquebant. Lobuli duo majores, reliqui minores erant. Vaſa umbilicalia in totidem truncos dividebantur, altera arteria in tres, altera in quatuor ramos, quorum quilibet ramo venoſo junctus. In genere quilibet placentæ lobulus, excepta magnitudine & diviſione, integræ placentæ perfecte ſimilis erat.

dio, hæc quinque, lata eſſet. Ferme ſeſe contingebant, ſic autem, ut ad alterum marginem medio loco parva conſpiceretur portio ejusdem naturæ, ac erant placentæ ipſæ, illas connectens, & originem præbens umbilicali funi, unica vena, binis arteriis compoſito. Vena, ubi ad dictam devenerat partem, in duos dividebatur ramos, quorum alter ad majorem, alter ad minorem decurrebat placentæ lobum; ab utraque vero arteria quisque lobus ſuos accipiebat ramos.

Rarius cum media placentæ parte (*o*), ſæpius cum loco, uni alterive margini propiore, quandoque etiam cum ipſo margine, nectitur funis umbilicalis (*p*), aut & duobus in locis cum placenta cohæret, bifidus (*q*). Rariſſime vero cum velamentis ovi copu-

(*o*) Noortwyk Hiſt. uteri gravidi pag. 128. Novit hoc jam Arantius de humano fœtu cap. 8. pag. 47.

(*p*) Conf. Levret Suite des Accouchemens laborieux. pag. 111. qui rationes adducit, quare rariſſime centro placentæ funis ſeſe inſerit.

(*q*) Van Solingen Embryulcia pag. 410. obſ. 96. Ad ſpithamæ a placenta diſtantiam funis dividebatur in binas partes, quæ placentæ tali inſerebantur modo, ut inter illas trium transverſorum digitorum ſpatium ſupereſſet. Vidit etiam Gravel funiculum ſimplicem, ex umbilico

copulatur, ſic ut longiſſime a placenta diſtet. Meretur itaque notabilis talis luſus attentionem, meretur, ut his in obſervationibus deſcribatur non tantum, verum etiam delineetur.

Poſt difficilem partum, effuſis jam ante biduum aquis, capite in diametro obliqua ita hærente, ut facies ſedem mediam inter os ſacrum & latus matris dextrum reſpiceret, & puer, vivus tamen, forcipe adplicata protrahi debuerit, protinus ſola naturæ vi expellebantur ſecundæ, velamenta ovi, placenta, funis.

Velamenta non niſi ea in parte, quæ, orificio uteri adplicata, & amnii liquorem & fœtum emiſerat, disrupta erant; foramen, ſic enatum, ampliatum, placenta vero, in adjecta figura, ſic poſita eſt, ut funis, ſurſum directus, quaſi ſuſpenſam illam teneat, illa pars, cui fœtus adhæſit, pone ovum reflexa, quaſi evaneſcat, & in interiore ovi parte vaſorum diſtributio conſpiciatur, ſublata amnio (*r*).

Placenta, ovata, longitudinem ſeptem pollicum (*s*), latitudinem quinque cum dimidio (*t*) habuit. Nullus omni-

bilico fœtus egredientem, mox biſidum, ac duplici inſertione in placenta terminatum. De ſuperfætatione conject. §. 8. in Halleri Collect. Diſput. Anatom. vol. 5. pag. 349. not. v. v.

(*r*) Tab. VII. a. d. e. f.

(*s*) Tab. VII. a. b. b.

(*t*) Tab. VII. a. c. c.

omnino ipſi inſerebatur funis, ſed hic, in parte, placentæ oppoſita (*u*), in ovi velamenta (*v*) terminabatur. Per funem binæ arteriæ (*w*), unica vena (*x*) decurrebant. Hæc vaſa, tortuoſo modo per funem progredientia (*y*), ubi ad ovi membranas (*z*) pervenerant, ab invicem recedebant (*a*). Altera arteria (*b*) verſus unum (*c*), altera (*d*) verſus alterum (*e*) latus progrediebatur, juxta chorion adſcendebat (*f*), &, antequam ad marginem placentæ (*g*) devenerat, in utroque latere, in altero tamen citius (*h*), quam in altero (*i*), findebatur; ambæ vero, placentæ latus adtingentes, ſupra internam placentæ ſuperficiem plures ſpargebant ramos (*k*), intra ipſius ſubſtantiam demum penetrantes (*l*). Vena (*m*), paulo ultra arterias decurrens (*n*), in binos ramos, non adeo multum capacitate differentes (*o*), findebatur. Alter

(*u*) Tab. VII. l.
(*v*) Tab. VII. d. e. f.
(*w*) Tab. VII. i i. i i.
(*x*) Tab. VII. k. k.
(*y*) Tab. VII. h.
(*z*) Tab. VII. l.
(*a*) Tab. VII. m. n.
(*b*) Tab. VII. m.
(*c*) Tab. VII. d.
(*d*) Tab. VII. n.
(*e*) Tab. VII. e.
(*f*) Tab. VII. d. e. f.
(*g*) Tab. VII. o o.
(*h*) Tab. VII. p.
(*i*) Tab. VII. q.
(*k*) Tab. VII. r. r. r. r.
(*l*) Tab. VII. s. s. s. s.
(*m*) Tab. VII. t.
(*n*) Tab. VII. m. n.
(*o*) Tab. VII. u. v.

Alter (*p*) nullum emittebat ramulum, antequam placentæ marginem adtingebat; alter (*q*) inſignem dabat, qui ad partem oppoſitam placentæ decurrebat (*r*), antequam, emiſſis minoribus ramis (*s*), ſeſe ulterius diſpergeret. Præter dictos ramos in toto juxta membranas decurſu nullos alios ſpargebat. Facta omni cautela vaſorum injectio eſt; arteriæ materie rubra, venæ cærulea, impletæ ſunt, ut conſtaret, an membranæ ovi vaſa acciperent, nulla autem ſeſe manifeſtarunt, licet felix adeo injectio fuerit, ut, ſi vel minima adſuiſſent, ſeſe omnino exhibuiſſent turgida. Ut laxe placentam ſemper inveſtit interna membrana, Amnios dicta, ſic facillime ab illa, a toto chorio, usque ad inſertionem funis ſeparabatur.

Examinatis & delineatis hisce ſecundis, raritatem obſervationis admiratus, varios ſedulo evolvi auctores, ut, an ſimile quid detectum antea fuerit, reſciſcerem.

Incidi primo in Diſſertationem, Præſide Celeb. Adolph, Helmſtadii anno 1767. defenſam, in eaque ſequen-

(*p*) Tab. VII. u.
(*q*) Tab. VII. v.
(*r*) Tab. VII. w. w.
(*s*) Tab. VII. x. x. x.

ſequentia legi (*t*) „ Rariſſime caſus aderit, quem Dom. Præſes in fœmina, perquam honeſta, identidem abortiente, nuper advertit. De margine placentæ extremo non vena cum duabus arteriis, ſed faſciculus ramoſus dictorum vaſorum procedebat aliquantisper, donec ex pluribus ramis pauci trunci principales in funem contorquerentur, qui, ad aliquot pæne palmas, nondum inveſtitus ab amnio vagina, nude internatabat modo, amnii inter & chorii tunicas, medius, invento tum exitu amnion denique pervadebat, nunc inveſtitus ſuo abhinc involucro ad naturæ cæterum ſuetum modum." Talis licet hæc deſcriptio ſit, ut verus placentæ & funis umbilicalis nexus non exacte repræſentetur, videtur tamen hicce caſus cum enarrato quodammodo convenire.

Poſtea vero ad manus pervenit Commentarius Celeb. Wrisbergii de ſecundinarum humanarum varietate, quo funis umbilicalis, velamentis inſertus, deſcribitur (*u*), & hæc obſervatio, licet perfecte ſimilis noſtræ non ſit, tantam tamen cum ipſa habet con-

(*t*) De funiculo umbilicali vel intra uterum diſſecando, auctore C. H. A. Hertz §. 25. pag. 39.

(*u*) Nov. Comment. Societ. Götting. Tom. 4. pag. 63. 64.

convenientiam, ut comparatio inſtitui mereatur. „Funis non, uti in ſtatu naturali ſolet, placentam ingreditur, ſed ſi ovum uti integrum ſpectatur, tunc exacte in parte oppoſita placentæ, in velamenta inſeritur, ita ut ex una parte ſit exterior ſuperficies, cavo uteri reſpondens, ex altera ovi parte ſit funis, & illa placentæ ſuperficies concava, cavum ovi reſpiciens, quæ alias funem inſertum habet, ſit perfecte æqualis, lævis, & libera ſine ullo funis veſtigio. Inſertio funis in velamenta ſequenti modo perficitur. Amnios, interiorem ovi cameram obducens, laxe placentæ ſuperficiëi internæ adhæret, ut facile ab eadem, nec non a chorio & vaſorum truncis usque ad funem ſolvi & deglubi queat, dum funem vero adtingit, ſtrictiſſimæ atque breviſſimæ celluloſæ ope ei adnectitur. Vaſorum umbilicalium trunci, ubi ex fune in velamenta abituri ſunt, craſſiusculo quodam annulo ex celluloſa laxiori chorio cum amnio communi ambiuntur, ultra quem annulum gelatina, funiculo conſueta, cum vaſorum ramificationibus in velamenta non continuatur. Progrediebantur rami vaſorum umbilicalium in latere interiore chorii, vena binis, arteriæ quatuor truncis, & exiguo quodam ſurculo, prioribus longe minore, qui vero trunci, pau-

paulo magis progreſſi, in minores dividebantur. Sic ſenſim ad marginem placentæ accedebant, ne ſurculo quidem in velamentorum tunicas ablegato."

Convenit in genere Wrisbergii & noſtra obſervatio; convenit, quoad funis inſertionem velamentis, quoad diviſionem & diſtributionem venæ, quæ primo in binos finditur ramos, quorum alter bifidus ante inſertionem: ſed in noſtro caſu arteriæ in binos, in Wrisbergii obſervatione in quatuor ramos ſecedunt, mox atque ex fune exeunt; hinc in poſteriore caſu rami, juxta velamenta adſcendentes, propinquiores ſunt, & majus ſpatium occupant, in priore non niſi lateralem ovi partem ambiunt. Felicior præterea noſtra injectio omnia vaſa multo magis diſtincta reddidit; Wrisbergii minus fauſta dubios reddere Lectores potuiſſet, an per velamenta diſperſi rami in illa deſinerent, niſi ipſe infelici injectioni hoc adſcripſiſſet, & illos, qui ſic depicti ſunt, æque ac reliquos, per placentam continuari, monuiſſet (*v*).

Adſervat etiam Doct. Sommer gemellos, quorum placentæ differunt. Funis ſeſe non corpori aut margini placentæ inſerit, ſed velamentis, unde vaſa ad marginem placentæ tendunt (*w*).

Etiam-

(*v*) Lib. cit. pag. 64.

(*w*) Beobachtungen und Anmerkungen über die in der gebärmutter

Etiamſi autem quatuor hi caſus exſtent, & forte ab aliis ſimiles fuerint viſi, attamen inter rariſſimas hujus generis obſervatio habenda eſt, dum vel illi, qui harum partium examini ſæpius incubuerunt, nullam omnino mentionem faciunt talis deviationis, vel etiam profitentur, inter ſexcentas ſecundinarum humanarum perluſtrationes non niſi ſimplici vice hunc luſum ſeſe obtuliſſe, quale Wrisbergii teſtimonium eſt (*x*), qui, diligenti comparatione cum aliis exemplis inſtituta, tamen perfecte ſimilem obſervationem non invenit, ſed Adolphi & Sommeri obſervata etiam memoravit.

Aſt non tantum ab oblivione eripienda hæc obſervatio, quod raro obvenit, ſed etiam, quia inſignem utilitatem in arte obſtetricia habet. Reiterata exempla docent, his etiam in partibus conſtantem naturam non eſſe. Obverſetur itaque ſemper rei hujus poſſibilitas obſtetricantium animis. Caveant a rudiori velamentorum laceratione ob ſummum ex disruptis, ſi tali modo per velamenta diſpergerentur, vaſis enaſciturum periculum. Caveant, ne, nato jam infante, fu-

ter zurückgebliebene und in einem ſacke eingeſchloſſene nachgeburt von Joh. Chriſt. Sommer. Braunſchweig 1768. §. 12. not. f. pag. 15.

(*x*) Lib. cit. pag. 60. 65.

funem adtrahant, placentam producturi, cum facillime abrumpi poſſet, & in utroque caſu rem potius naturæ committant, ſibi plerumque ſufficienti (*y*).

Variat non tantum inſertio funis, ſed ipſe, quandoque, ut ferunt, abſens (*z*), tenuior (*a*), craſſior (*b*), juſto brevior (*c*), nimis longus (*d*) eſt, aut alio mo-

(*y*) Conf. Wrisberg loc. cit. pag. 65.

(*z*) Stalp. van der Wiel Obſervat. cent. 2. obſ. 32. pag. 307. ſeq. Bina exempla fœtuum ſaniſſimorum abſque ullo funis veſtigio, memorat Fatio Helvetisch vernünftige Wehemutter. pag. 37. Conf. Schurigii embryol. ſect. 1. cap. 3. pag. 94. In illo monſtro, quod a Clar. Sue adſervari dicitur, caput, pectus, & extremitates ſuperiores deficiunt, inferior trunci pars & pedes adſunt, nullum vero umbilicalis funis veſtigium reperitur. Burdach de læſione partium fœtus nutritioni inſervientium, abortus cauſa. Lipſiæ 1768. pag. 5. not. b. Non ita diu eſt, quod ſimile monſtrum obſervaverim, deërant caput, pectus, artus ſuperiores; aderant inferiores, ſed difformes; aderat etiam funis umbilicalis, ſed tenuis, & ſupra hunc parvæ irregulares eminentiæ, exigua foramina.

(*a*) J. Horſtii Obſervat. Anatom. Dec. obſ. 5. pag. 12. Sennerti Prax. lib. 4. p. 2. ſect. 6. cap. 2. pag. 404. Filamenti inſtar ſubtilem vidit Ruiſchius Adverſar. Anatom. Dec. 2. obſ. 10. pag. 29.

(*b*) Ruiſchius loc. cit. Theſ. anat. 6. tab. 2. fig. 5. tab. 3. fig. 2. Qualem his locis delineavit funis craſſitiem ſæpe obſervamus. Rarior funiculus, brachio craſſitie non cedens, qualem memorat Mauriceau Obſervat. ſur la groſſeſſe & les accouchemens. obſ. 406.

(*c*) In maturo fœtu funiculi longitudo ſtatuitur a ſedecim pollicibus ad viginti quatuor. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. part. 1. pag. 215.

modo præternaturalis (*e*), & vel abortui occaſionem præbet (*f*), vel partum impedit (*g*), vel fœtum enecat (*h*). Longiſſimus etenim ſi fuerit, ſeſe circa

Plerumque quindecim pollices æquat. Tanta autem in longitudine differentia datur, ut, nullum ferme intermedium inter 7. & 18. eſſe numerum, quem funium humanorum longitudo non obtulerit, teſtetur Wrisberg Comment. cit. pag. 60. Longitudinem ſpithamæ vix excedentem funem memorat Hildanus Obſervat. Chir. Cent. 2. obſ. 50. pag. 122. Sex digitos transverſos longum Stegmann Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. ann. 4. obſ. 113. pag. 235. Smellie A Collection of caſes and obſervations in Midwifery. vol. 3. Rec. 9. art. 1. obſ. 3. 4. Conf. Mauriceau Obſervat. ſur la groſſeſſe & l'accouchement. obſ. 401. 406. 518. 559. 612. 640. 662. 688. dern. obſ. 139.

(*d*) Funiculum, quadraginta pollices æquantem, habuit Hebenſtreit. Pathol. fun. umbil. hum. Lipſiæ 1737. §. 2. in Halleri Diſput. Anatom. vol. 5. pag. 675. Wrisbergius vero funem, quadraginta ſex, alium quadraginta octo pollices longum, vidit. Comment. cit. pag. 60. Conf. Mauriceau lib. cit. obſ. 133. 401. 567.

(*e*) Burggrav Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 1. obſ. 77. pag. 305.

(*f*) Hildanus Obſerv. Chir. Cent. 2. obſ. 5. pag. 122. Littre Acad. des Sciences. ann. 1701. pag. 92. Collect. Acad. part. franc. Tom. 1. pag. 674. Burdach de læſione partium, fœtus nutritioni inſervientium, abortus cauſa. pag. 25.

(*g*) J. C. Sommer de partu laborioſo ſelectæ obſervationes Gott. 1765. obſ. 2. pag. 6. Funis undecim pollices longus erat. J. P. Freier de partu difficili propter funiculum umbilicalem, fœtus collum ſtringentem. Halæ 1765. pag. 7. Leontowytsch de partu præternaturali ex vitiis trunci fœtus orto §. 8. pag. 4. Pugh Treatiſe on midwifery pag. 20.

(*h*) Hebenſtreit fun. hum. umb. pathol. §. 9. in Halleri Diſput. Anat.

ca partes fœtus contorquet (*i*), adeoque brevior fit (*k*); vel nodos veros format (*l*), qui, conſtricti, circulanti ſanguini inſuperabilem ponere obicem debent (*m*); aut & in partu primus ſeſe offert, &, inter oſſa fœtumque compreſſus, eosdem effectus producit (*n*). Bis,

Anat. vol. 5. pag. 694. Sommer loc. cit. Freier loc. cit. Levret ſuite des Accouchem. labor. pag. 191.

(*i*) Freier loc. cit. Conſervat Burdach lib. cit. pag. 25. not. q. embryonem, qui quintum menſem attigiſſe videtur, ita comparatum, ut funiculus umbilicalis, a regione umbilici verſus dorſum inclinatus, ad humerum ſiniſtrum adſcendat, circa eum convolutus, collum a parte anteriore conſtringat, & humerum dextrum ſuper adſcendat, atque a tergo abſque ulterioribus ambagibus ad placentam progrediatur. Singularem funis contorſionem deſcribit Doct. van de Laar Schets der Verloskunde pag. 34. 35. Conf. Peu pratique des Accouchemens liv. 2. cap. 430. qui, variis figuris, funis circa diverſas partes circumvolutiones depinxit. Mauriceau obſervat. 394. 401. 452. 492. 496. 506. 509. 526. 530. 585. 624. 687. dern. obſ. 47. 132. La Motte traité des Accouchemens obſ. 114. 115. 116. Bis collo circumvolutum funem in fœtu quinquemeſtri vidit Hebenſtreit fun. umb. hum. pathol. §. 19. Halleri Diſp. Anat. vol. 5. pag. 692. Fœtus inde nullum incommodum fuerat paſſus, ſed communi cum matre fato abreptus. Ruisch Obſervat. Anatom. 11. Roederer de partu laborioſo obſ. 14. 15. Opuſc. Part. 1. pag. 174. 177. Levret ſuite des Accouch. pag. 191.

(*k*) Littre Acad. des Scienc. ann. 1701. pag. 92. Collect. Acad. part. franc. Tom. 1. pag. 674.

(*l*) Mauriceau obſervat. 312. 567. dern. obſ. 38. Stuart de ſecundinis ſalutiferis, æque ac nocivis. §. 13. pag. 57. Argent. 1735.

(*m*) Riolani Anthropolog. lib. 6. cap. 5. pag. 379.

(*n*) Hebenſtreit lib. cit. §. 10. Halleri Diſp. Anat. vol. 5. pag. 695. Mauriceau dern. obſ. 103. 127.

Bis, intra breve temporis ſpatium, nodum in fune obſervare licuit. In altero caſu, partu maxime naturali, puer vegetus erat in lucem emiſſus; placenta ſponte ſua brevi poſt inſequebatur. In fune verus nodus erat. Longitudo funis cum nodo non explicato erat viginti quinque pollicum cum dimidio; portio, fœtus abdomini adhærens, æquabat duos pollices; nodus explicatus ſex, adeoque totius funis longitudo triginta trium pollicum cum dimidio erat. In altero caſu per biduum jam parturiverat fœmina, fœtu brachium dextrum offerente. Hic autem, facta verſione, protractus, poſt multa irrita conamina, tandem balneo aquæ calidæ, ad ſe rediit. Mox atque manus utero erat immiſſa, detectus in fune nodus, adeo æquabilis atque glaber, ut nullibi ruga conſpiceretur, & ipſe, non partus tempore factus, ſed jam antea formatus, ſic procreviſſe videretur (*o*). Funiculi pars, placentæ adhærens, erat tredecim pollicum, cum fœtu nexa quinque; nodus vero, ſi explicari commode potuiſſet, octo circiter pollicibus æqualis fuiſſet, adeo ut, totum funem viginti & ſex pollicum longitudinem habuiſſe, credibile ſit.

Di-

(*o*) Tab. V. Fig. 8.

Diverſa auctorum de his nodis ſententia eſt, alii partus tempore fieri illos ſtatuunt (*p*); alii adeſſe antea, ſed fœtui non nocere, dum eo tantum tempore, quando prodit fœtus, præſens antea anſa conſtringitur (*q*); alii, vel conſtricto nodo, fœtum vitam protrahere poſſe, contendunt (*r*). Subſiſtere ante partum, nec fœtui, niſi forte in ipſo partu, ſi hic naturalis non eſt, & nimis diu protrahitur, nocere, allatæ obſervationes confirmare videntur (*s*), licet ſub-

(*p*) Burdach de læſione partium fœtus nutritioni inſervientium abortus cauſa. pag. 25.

(*q*) Gehler de utero ſecundinas expellente Diſſ. prim. pag. 11. Loquitur Bourgeois de fœtu, cum funiculo tribus nodis interſtincto, in lucem emiſſo. Obſervat. ſur la ſterilite obſ. 133. Schurigius fœtum maſculum, perfectum, muſculoſum, examinavit, in cujus funiculo ultra ulnam longo arcte conſtrictum, vixque ſolubilem, deprehendit nodum. Embryol. ſect. 1. cap. 3. pag. 91.

(*r*) Grau Anfangsgrunde der Hebammenkunst. pag. 201. Allegant nonnulli etiam tales caſus (Præſertim Petiti obſervationem Acad. des Scienc. 1718. pag. 40. qui Academiæ Pariſinæ oſtendit funiculum fœtus humani, qui in medio nodulum habebat, ubi manifeſta indicia adfuerunt, hunc nodulum diu ante partum jam conſtrictum fuiſſe) ut probent, nutritionem fœtus per os fieri. Heiſter Comp. Anat. Tom. 2. pag. 89.

(*s*) Mauriceau octies tales nodos in fune conſpexit, ferme conſtrictos, & omnes tamen infantes vivi fuerunt obſ. 133. Conf. etiam obſ. 567. dern. obſ. 28. Smellie caſes in Midwifery Tom. 2. collect. 19. n. 2. caſ. 2. 3. Denys verhandel. over het ampt der Vroedm. en Vroedvr. pag. 519.

ſubinde ante partum etiam noxii fuerint, &, circulationem ſanguinis impediendo, commercium matrem inter & fœtum difficile reddendo; vel & penitus intercipiendo, debiliſſimum infantem reddiderint (*t*), aut ipſi vitam ademerint (*u*), ut præprimis Gutermanni obſervatio de fœtu ſeptem menſium autochire (*v*) probat.

(*t*) Van de Laar Schets der Verloskunde. pag. 34.
(*u*) Smellie caſes Tom. 2. collect. 19. n. 2. caſ. 1. pag. 335.
(*v*) In Commerc. litter. Norimb. anni 1731. pag. 155. Octo pollicum ſpatio a placenta diſtabat nodus, firmiter conſtrictus & duplex. Fœtus ſemiputridus erat. Motum ipſius perceperat mater, ſed hæc ſenſatio ſenſim imminuta eſt, ut tandem dubiam de vita fœtus ſpem relinqueret.

## CAPUT QUINTUM.

### *De rudiori placentæ protractione, indeque nata lethali matricis inflammatione.*

Excluſo infante, altero quaſi partu, ſolius naturæ vi, contrahente ſeſe matrice, expelluntur velamenta ovi cum placenta, quas partes ea propter ſecundinas dixit Antiquitas. Nulla vi, nulla protractione, hic opus eſt, relicta ſibi natura ferme ſemper ſufficit, ſibi opitulatur, & vel mox a partu, vel, elapſo

elapſo tempore, ejicit, quod, nullius amplius utilitatis, damnum potius corpori adferret. Protractionem contra, violentiorem præprimis & imprudentem, mala diverſi generis, ſæpe lethifera, inſequi ſolent.

Felix novem liberorum mater, decima graviditate abſque magnis incommodis ad finem perducta, puellam naturali maxime partu emiſerat in lucem. Obſtetrix, citiſſime protrahendam eſſe placentam, credens, rudiori modo illam, firmius utero nexam, ſeparabat, educebat, ſummos autem parturienti creabat dolores. Lochia primo die prodiere nulla, ſequenti copioſa. Exarſit autem febris acuta, continua, cum pulſu duro; abdomen tympani ad inſtar tendebatur, mammæ flaccidæ perſiſtebant, nec ullus lactis verſus has partes erat adfluxus. Tumebat præcipue abdominis pars dextra lateralis ab oſſis ilei criſta ad inguen. Perſtabat febris cum delirio aliisque pravæ notæ ſymptomatibus. Arceſſita obſtetrix, ut in uteri ſtatum inquireret, adfirmabat, ſeſe integram eduxiſſe placentam, aſt, manu vaginæ immiſſa, apertum adeo os uteri invenit, ut facile duos admitteret digitos, ſimulque ſeſe corpus præternaturale detegere, faſſa eſt, quod educere omnino non valuit. Quæcunque in auxilium vocabantur interna,

externa, remedia, ſimili in caſu maximopere laudata, nullum adferebant levamen (*a*); pejora reddebantur cuncta ſymptomata. Tendebatur inſigniter abdomen; profluebat e genitalibus materies, fœtida, viridis. Urina involuntarie, guttatim, excernebatur; intumeſcebat tamen de tempore in tempus magis magisque hypogaſtrica regio, hinc, veritus, ne, etiamſi continuo urina emitteretur, lotio tamen inſigniter turgeret veſica, immiſi catheterem, & hujus ope ingentem urinæ quantitatem eduxi. Imminutus hoc pacto multum abdominis tumor, dolor, tenſio, ſed perſtabant non tantum reliqua ſymptomata, verum pejora reddebantur; reſpiratio acceſſit difficillima, pulſus parvus, intermittens, & animam denique, nono a partu die, efflavit miſera.

Uteri ſtatum inquiſiturus, ſectis abdominalibus muſcu-

(*a*) In aliis caſibus injectionum aquæ calidæ utilitatem ſummam obſervare licuit. Suaſit hanc Recolin, & in aliquot fœminis, in quarum utero poſt abortum aliqua ſecundinarum pars remanſit, aquam calidam aliquoties ope ſyringæ in ipſum uterum injecit; quo facto ſymptomata non ſolum mitiora reddita ſunt, ſed ſecundinarum etiam reliquiæ poſthac exierunt. Aquam ſimplicem calefactam, utpote magis ſolventem, reliquis injectionibus anteponit. Secundinas enim non ſolum hac ipſa detrudi, ſed & humores putridos, fœtidosque, nec non ſanguinis grumos, eadem elui, uterumque plane purgari, aſſerit. Memoir. de l'Acad. R. de Chirurgie Tom. 3. pag. 202.

ſculis cum peritonæo, has partes admodum extenuatas vidi, abdomine quippe æque tumido, ac in gravida, cui partus inſtat. Ventriculus, omnia inteſtina, tenuia, craſſa, aëre maximopere erant diſtenta, ſic ut, mox atque parva etiam plaga abdomini erat inflicta, ſumma vi erumperent. Uterus erat inſignis magnitudinis. Interna ipſius ſuperficies tota gangrænoſa, pure viridi, fœtidiſſimo, obſeſſa. Placentæ, vi evulſæ portio, pro parte in putrilaginem verſa, & præterea plurimæ, majores minoresque, velamentorum laciniæ, ſegmento anteriori uteri firmiter adhærebant, ſic ut ſeparari omnino non potuerint. Oſtium uteri apertum. Uterus, in fundo ultra transverſum pollicem craſſus, in facta ſectione multa foramina, totidem diſciſſorum vaſorum lumina, monſtrabat, inde vero craſſities verſus oſtium ſenſim imminuebatur. Veſica contracta naturalem occupabat ſedem. Nec in illa, nec in reliquis viſceribus, ſi illorum inflammatio excipiatur, præternaturale quid detegebatur. Examinans, appoſito digito, ſublato femore, oſſium pubis nexum, levem quidem motum, nullam vero manifeſtam ſeceſſionem, animadvertere valui; pelvis etiam ampla erat, & partus naturalis fuerat atque facilis.

Adfuit ergo hoc in caſu uteri inflammatio ex imprudenti placentæ protractione, quæ partes vicinas in conſenſum traxit, &, in gangrænam terminata, marito adamatam eripuit uxorem, liberis cariſſimam matrem.

Secuit Boehmer puerperam, tertia poſt partum hebdomade, uteri inflammatione, qua a principio puerperii laboraverat, mortuam. Abdomen erat turgidum; viscera abdominalia ſphacelo emollita conſpiciebantur, uterus nigricans, magnitudine, qua tertio graviditatis menſe eſſe ſolet, craſſus, ſanguine ſpiſſo refertus, totusque ſphacelo corruptus, inque ejus cavo reperiebatur putrida placentæ portio, fundo uteri adhuc adhærens (*b*).

Præbet talis caſus novum argumentum iis, qui ſecundinarum ſeparationem naturæ eſſe committendam cenſent. Varia incommoda preſſo pede ſecundinas, in matrice relictas, ſequi, multorum obſtetricantium fuit opinio, qui ea propter quantocius & ſine mora extrahendas illas eſſe, jubent (*c*), imo, neque pii ne-

(*b*) De ſolvendis & extrahendis ſecundis pag. 22. in not.

(*c*) Mauriceau traité des malad. des femmes groſſes liv. 2. chap. 8. pag. 248. Van Deventer novum lum. obſtetr. pag. 126. Peu pratique des Accouchemens liv. 2. chap. 15. pag. 494. Guntzius inſt. art. obſtetr.

neque prudentis medici eſſe, aſſerunt, in placentæ ex utero remotione vel expectationi medicæ vel ſpontaneo naturæ operi aliquid tribuere (*d*). Contra oppoſitam plane ſententiam fovent alii, eamque præcipue ſuperſtruunt malis, per rudiorem placentæ extractionem productis, uteri læſione, laceratione, inflammatione, ſcirrho, inverſione, ſubitanea etiam morte (*e*); corroborant exemplis, quibus conſtitit, per aliquod tempus abſque damno in utero perſtitiſſe ſecundinas (*f*). Tutiſſimam ingredi viam videntur, qui

obſtetr. §. 297. Alii, quos excitat Clar. Gehler Diſſert. ſec. de utero ſecundinas expellente. pag. 6.

(*d*) Hartramſt de non differenda ſecundinarum extractione. Halleri Collect. Diſp. Chirurg. vol. 3. pag. 399.

(*e*) Levret ſuite des accouch. labor. pag. 26. Conf. Practical directions shewing a method of delivering the placenta without violence, by J. Harvie. London. 1767. Vogel de non acceleranda ſecundinarum extractione; reſp. L. A. Appun Gott. 1768. Delii cautelæ nonnullæ circa ſecundinarum eductionem; reſp. C. H. Schreyer Erlangæ 1775. Gehleri Diſſ. binæ de utero ſecundinas expellente Lipſiæ 1765 & 1767.

(*f*) Poſt tridui moram exeuntem vidit placentam integram Swietenius, cum impedivisſet obſtetricem, ne vi adhibita illam educeret. Comment. in Aphor. Pract. Boerhavii Tom. 4. pag. 579. Tria exempla relictæ in utero placentæ vidit Gehler; in quorum primo abortivi fœtus placentam per tredecim hebdomadas retinuit fœmina ſana, nullo modo ab his latitantibus ſecundinis læſa, quam demum ſubito novis obortis doloribus excluſit; alterum oſtendebat maturi fœtus, facili

qui ſemper paululum quietis parturienti concedunt, ut uterus ſeſe contrahere, ac placentam ſolvere, poſſit, qui nullam unquam vim adhibent, qui naturæ, ſibi non ſufficienti, adjutrices præbent manus, ſtatim vero placentam producunt, ſi partum præcedit, comitatur, vel inſequitur gravis hæmorrhagia, aut convulſivis motibus vexatur puerpera (*g*).

Adfuit in enarrato caſu urinæ ſuppreſſio, & ſimul involuntarium ſtillicidium, quod, quominus de ſuppreſſione cogitaſſem, &, immiſſo cathetere, puerperam a notabili urinæ copia liberaſſem, forte impediviſſet, niſi a Clar. van Doeveren, tunc temporis Groningæ Medicinam docente, in habita oratione

cili admodum partu excluſi, placentam, per quatuor dies retentam, & demum ſponte ejectam; in tertio placenta poſt difficilem partum relicta in utero, nimium adhærens, magnamque copiam ſanguinis profundens, quarto die ſponte expellebatur. De utero ſecundinas expellente Diſſ. 2. pag. 9. Poſt abortum quatuor menſium placentam abſque damno ad quintum usque diem utero fuiſſe retentam, tum vero ſponte expulſam, vidit Harvie, idemque decima octava hora poſt partum ſeptimeſtrem contigiſſe, tradit. Practical directions. pag. 35. 39.

(*g*) Conſentiunt præter citatos primi ſubſellii obſtetricantes: Ruisch tract. Anatom. pag. 13. Puzos traité des Accouchem. pag. 141. Levret l'Art. des Accouchemens part. 3. chap. 2. art. 4. pag. 138. Mem. de l'Acad. R. de Chir. Tom. 3. pag. 213. Uitgezogte Verhandelingen VI. D. pag. 471. Roederer Elem. Art. Obſtetr. cap. 14. pag. 152. Stein Theoretiſche Anleitung zur geburtshulſe cap. 11. pag. 150. Alii.

ne (*h*) communicatus fuiſſet caſus, quem, poſtquam memoratam obſervationem feceram, latius deſcripſit (*i*), quo conſtitit, quotidianum licet adfuerit urinæ ſtillicidium, tantam tamen ipſius adeſſe posſe retentionem, tantam veſicæ expanſionem, ut demum disrumpatur: niſi, perlecto aureo de ſedibus & cauſis morborum per Anatomen detectis Morgagniano opere, digniſſimas, quæ annotarentur, cenſuiſſem, obſervationes mulieris, quæ præter alia mala aſſiduo urinæ ſtillicidio laboraverat, in cujus cadavere veſicam urina maxime diſtentam vidit (*k*), & anus, apoplexia laborantis, & continuo ſtillicidio urinam emittentis, cujus veſica lotio adeo diſtenta fuit, ut, ſurſum repulſis inteſtinis, ad umbilicum pertigerit, & ileum utrumque occupaverit (*l*).

Hi caſus, examinata ægra, ſtatim in mentem venerunt, ac memet excitarunt, ut, dum ventris tumor inſignis eſſet, explorandum cenſuerim, an & hoc in caſu, guttatim licet prodeunte urina, major ipſius copia retineretur, veſicam diſtenderet, ac ven-

(*h*) De erroribus medicorum ſua utilitate non carentibus. pag. 21.
(*i*) Specim. Obſervat. Acad. cap. 6. pag. 63.
(*k*) Epiſt. 39. art. 33. 34.
(*l*) Epiſt. 56. art. 12.

P

ventris tumorem adaugeret. Et tanti effectus adhibitum auxilium, catheteris introductio, fuit, ut ab hoc ſymptomate liberata ſit, licet reliqua tantopere increverint, ut ipſi tamen fuerit ſuccumbendum.

Habet duplicem uſum relata obſervatio, pathologicum, practicum. Diſcunt Pathologi inflammationem, gangrænam, uteri, urinæ ſuppreſſionem ex rudiori obſtetricantium opera enasci; diſcunt, urinæ plenaria excretione non impedita, præſente continuo lotii ſtillicidio, tantam tamen ipſius quantitatem posſe intra veſicam retineri, ut ultra modum extendatur, disrumpatur. Monentur practici, ut omnem in ſolvendis & extrahendis ſecundinis evitent vim, naturæ non nimis cito diffidant, omnem, ſi hæc arte juvanda eſt, adhibeant cautelam, ne vel uterus lædatur, vel placenta abrumpatur, pars vero intra uterum remaneat; monentur, ne urinæ ſtillicidio ſemet decipi patiantur, ut in omni caſu, ubi ſufficiens urinæ copia non videtur expelli, ubi tumor abdominis ſuſpicionem movet, ad veſicæ ſtatum adtendant, &, immiſſo dextre cathetere, veſicam lotio liberent, ſicque vel mortem prævertant, vel ſymptomata imminuant, & decumbentes pro tempore liberent.

CA-

## CAPUT SEXTUM.

### *De Anchyloſi oſſium Pubis.*

Inter oſſa, quæ anchyloſi, frequentiſſimo cæterum morbo (*a*), raro vexantur, Oſſa Pubis merito numerari ſolent, rariſſime enim & a pauciſſimis concretio harum partium viſa videtur.

Ruiſchius, qui locupletiſſimum olim poſſidebat muſeum anatomicum, talem nunquam conſpexit, imo de exiſtentia hujus morbi hoc in loco dubitavit, ubi enim unionem oſſeam, ſeu anchyloſin oſſium innominatorum & oſſis ſacri deſcribit, a ſe ipſo adſervatam (*b*), ſequentia ſuperaddidit „quantumvis dicta oſſa per oſſeam ſubſtantiam ſint unita, utpote cartilagine interpoſita oſſefacta, attamen cartilago, quæ utrumque os pubis conjungit, nequaquam in os degeneravit, quod in homine rariſſime (ſi unquam) contingit." Adſtipulatur Ruiſchio Hallerus, qui oſſium innominatorum & ſacri anchyloſin familiarem, in pubis oſſibus rariſſimam, ſtatuit (*c*). In Muſæo Regis Gal-

(*a*) Conf. harum Obſervat. lib. 1. pag. 96.
(*b*) Catal. rar. adnex. Obſervat. Anatom. chirurg. pag. 177.
(*c*) Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 436.

Galliæ, quod morboſorum oſſium ſpecimina varia continet (*d*), etiam non inveniri videntur hujus morbi exempla; mentionem quidem fecit Ill. Daubenton de variis anchyloſis ſpeciebus, & inter has de anchyloſi oſſis ſacri, oſſium ilii, & quatuor inferiorum vertebrarum lumborum, & de ſimili vitio, quo os ſacrum, ultima lumborum vertebra, & oſſa innominata conglutinata ſunt, ſed de nexu oſſium pubis nullam omnino injicit mentionem (*e*). Fatetur Hunter, ſe nunquam anchyloſin oſſium pubis vidiſſe, licet multas anchyloſes vertebrarum, oſſium innominatorum cum ſacro, & ſacri cum coccyge, conſpexerit (*f*).

In collectionibus oſſium morboſorum, quæ noſtra in regione & hodie proſtant, quantum expiſcari valui, vix tales anchyloſes adſervari videntur. Clar. Camper præternaturalem horum oſſium nexum non obſervaſſe videtur, immo potius ex eo, quod tale quid ferme nunquam eveniat, argumentum pro confirmanda ſententia de dilatatione pelvis in partu deſum-

(*d*) Hiſtoir. Natur. avec la deſcript. du Cabin. du Roi 8°. Tom. 5. pag. 66—150.

(*e*) Ibid. n°. 220. 221. pag. 136.

(*f*) Medic. Obſervat. and Inquir. vol. 2. pag. 336.

ſumſit: naturam commodo inde enaſcenti adeo fuiſſe ſtudioſam, dicit, ut cartilago inter oſſa pubis nunquam in os mutata videatur, licet innominata oſſa cum ſacro concreverint, aut tota ſpina cum pelvi unicam referat maſſam (*g*), quale ſpecimen ipſe poſſidet, quale deſcripſit etiam Connor (*h*). Hoviana collectio, quæ ut aliorum, ferme dicam omnium, morborum, qui oſſa adficere ſolent, ſic & anchyloſis, varia exempla monſtrat, non tamen talem poſſidet, qua pubis oſſa invicem confluxerunt; & in aliis etiam, quæ Amſtelædami inveniuntur, collectionibus, in propria ſimiliter, hoc vitium non dari, monet Clar. Bonn (*i*).

In primo harum obſervationum libro rariſſimam maxillæ inferioris anchyloſin deſcribens (*k*), variasque

(*g*) Verhandeling over het bekken. &c. pag. 7. gevoegd by Mauriceau tractaat van de ziektens der zwangere vrouwen.

(*h*) De ſtupendo oſſium coalitu. pag. 4.

(*i*) Verhandel. van het Bataafsch Genootſchap te Rotterdam. III. Deel pag. 279.

(*k*) Pauca exempla tunc adduxi. Lib. 1. cap. 7. pag. 98. Adfirmavit etiam Rondeletius Volchero Coiter, ſe vidiſſe cranium, cui connata erat maxilla inferior. Conf. Extern. & intern. principalium humani corporis partium tabulæ, autore Volchero Coiter. pag. 109. Quod tamen non vidit Coiter, licet hoc adfirmet Riolanus Schola Anatomica Pariſiis 1608. pag. 116. In inſula Madera viderunt Celeb. Itineratores

que hujus morbi ſpecies enumerans (*l*), pariter monui, aſſervare memet pelvim, qua poſſibilitas anchyloſis oſſium pubis probari poſſit (*m*). Placet jam hujus pelvis brevem exhibere deſcriptionem, & accuratiſſimam nexus oſſium pubis delineationem, ut omnibus conſtet, qua ratione hæc oſſa cohæreant, & poſſibilitas hujus anchyloſis ad oculum demonſtretur; viri etenim pelvim dum deſcribo, nihil ulterius inde concludo, licet, ut poſtea patebit, in pelvi muliebri etiam ſimile vitium detectum ſit.

Si Anchyloſin adeſſe dicimus, cum articuli ita obrigeſcunt, ut eorum motus prohibeatur (*n*), negare non poſſumus, in deſcribendo caſu oſſa pubis hoc morbo laborare, licet alia ratione innominata cum ſacro cohæreant, quam pubis oſſa inter ſe. Innominata cum ſacro ſic confluxerunt, ut nullibi ſpatium

Banks & Solander cranium, cujus binæ maxillæ altero latere firmiter concretæ erant, ſic ut homo per longum temporis ſpatium coactus fuerit alimenta aſſumere per foramen, ſublato dente enatum. An account of the Voyages undertaken for making diſcoveries in the ſouthern hemiſphere; by Hawkesworth. vol. 3. Erxlebens Phyſikaliſche Bibliothek. 1. Band. pag. 143.

(*l*) Cap. 7. pag. 97.

(*m*) Ibid. pag. 100. not. q.

(*n*) Conf. Clar. Gaubii Inſtit. pathol. medic. pag. 101.

tium intermedium detur, & nexus adeo firmus ſit, ut unum idemque os formare videantur; oſſa vero pubis, ab anteriore ſeparata, a poſteriore ſeu interiore cohærent, deperdita quaſi cartilagine omni.

Conſtituit itaque hæcce pelvis unicam maſſam oſſeam. Os ſacrum in utroque latere adeo firmiter cum innominatis concrevit, ut in capacitate pelvis vix ulla diſtinctionis nota inveniatur, ſed potius unius alteriusque oſſis ſubſtantia confluxerit, & mixta quaſi videatur. A parte poſteriore ligamenta, quæ ab oſſe ſacro ad os ilium, ultra ſacrum prominens, tendunt, variis in locis, præſertim in parte laterali & ſuperiori dextra, in oſſeam naturam mutata ſunt, & ab inferiore etiam, ultra planities ſigmoideas, quæ & in ſacro & in innominato adſunt, ut invicem jungi poſſent, cohærent, & effuſa quaſi oſſea ſubſtantia, inæqualiter prominente, nectuntur. Inter oſſa pubis a parte ſuperiori diſtantia eſt ſeptem circiter linearum (*o*), verſus inferiora autem magis ad ſe invicem appropinquant (*p*); ora autem ſuperior pelvis hoc in loco non dehiſcit, ſed revera completa eſt (*q*); ab uno enim oſſe pubis ad alterum tendit lamella oſſea

(*o*) Tab.VIII.Fig.1.inter b.&b.
(*p*) Tab.VIII.Fig.1.inter c.&c.
(*q*) Tab. VIII. Fig. 1. d.

ſea (*r*), quæ ſuperiorem horum partem nectit, & hæc lamella, deorſum juxta poſteriores oſſium pubis partes deſcendens (*s*), tantopere ſeſe dimittit, & in toto hoc tractu oſſa nectit, ut linea, a parte anteriore (*t*) retrorſum & deorſum (*u*) ducta, pollicem cum dimidio longa ſit. Cavum itaque inter osſa pubis relinquitur (*v*), quod antea duplex implevit cartilago, quæ in hoc nexu in viris, æque ac fœminis, adeſt (*w*), ſed jam conſumta tota periit. A parte poſteriore, id eſt, quæ capacitatem pelvis reſpicit, eminentia, rotundula, æquabilis admodum, conſpicitur (*x*), non multum ſuperans ſimilem ligamentorum hoc in loco prominentiam, qualis ſæpe ſeſe offert.

Præter hactenus memorata, alia etiam hac in pelvi occurrunt, quæ a ſano recedunt ſtatu. In dextro latere pars illa acetabuli, quæ reſpicit os pubis, inſigniter adſurgit (*y*), inæquabilis eſt, & varias, magis minusve acutas, eminentias (*z*) format, dum tres

(*r*) Tab. VIII. Fig. 1. d. Fig. 2.
(*s*) Tab. VIII. Fig. 2. b. c.
(*t*) Tab. VIII. Fig. 1. d.
(*u*) Tab. VIII. Fig 2. per b ad c.
(*v*) Tab. VIII. Fig. 1. inter b b. & c c.
(*w*) Conf. har. obſervat. lib. 2. cap. 1. pag. 53.
(*x*) Tab. VIII. Fig. 2. b. ç.
(*y*) Tab. VIII. Fig. 1. h.
(*z*) Tab. VIII. Fig. 1. i. i. i.

tres aliæ exoſtoſes (*a*) magnam partem opplent foramen ovale (*b*), quod inter pubis & iſchii oſſa relinquitur (*c*). Harum maxima (*d*), ex ſuperiori parte ſeſe dimittens, pro parte etiam ex margine acetabuli (*e*) enaſcitur, ſic ut inter binas haſce, radices quaſi, foramen relinquatur (*f*), in quod deſinit veſtigium, juxta quod & vaſa obturatoria & nervi hujus nominis olim decurrebant. Altera exoſtoſis (*g*) producitur ex illa oſſis iſchii parte, quæ ab anteriore defectum in acetabuli margine monſtrat (*h*), &, ad exoſtoſin primo loco memoratam (*i*) tendens, inter hanc foramen, hoc in ſitu non adeo conſpicuum, iterum relinquit (*k*). Tertia exoſtoſis (*l*), ex ramo deſcendente oſſis pubis enata, oblique ſurſum, introrſumque tendit, ferme ad primam usque adſcendens. Omnes baſi latiores, apicibus vario modo diviſis acutiores, & undiquaque valde inæquabiles (*m*), parvis præterea foraminibus pertuſæ (*n*). Tubera oſſium iſchio-

(*a*) Tab. VIII. Fig. 1. k. n. q. Fig. 2. e. h. k.
(*b*) Tab. VIII. Fig. 1. g.
(*c*) Tab. VIII. Fig. 1. a. a. c.
(*d*) Tab. VIII. Fig. 1. k. Fig. 2. e.
(*e*) Tab. VIII. Fig. 1. l. Fig. 2. f.
(*f*) Tab. VIII. Fig. 1. m. Fig. 2. g.
(*g*) Tab. VIII. Fig. 1. n. Fig. 2. h.
(*h*) Tab. VIII. Fig. 1. o.
(*i*) Tab. VIII. Fig. 1. k.
(*k*) Tab. VIII. Fig. 1. p. Fig. 2. i.
(*l*) Tab. VIII. Fig. 1. q. Fig. 2. k.
(*m*) Tab. VIII. Fig. 1. k. n. q. Fig. 2. e. h. k.
(*n*) Tab. VIII. Fig. 1. r. r.

iſchiorum, tum extrorſum tum introrſum, variis eminentiis, aſperis, inæquabilibus, obſeſſa.

Quo rarius viſa fuit vera dictorum oſſium concretio (*), eo frequentius exoſtoſes, ex oſſibus pelvis enatas, obſervarunt Anatomici, etiam talibus in locis, ubi inſignia, in ſexu ſequiori, adferre debuerunt mala.

Lutetiæ in cadavere honeſtiſſimæ mulieris, in difficili eam ob cauſam puerperio, vita functæ, viſam fuiſſe a ſe, pluribusque medicis & chirurgis, exoſtoſin, osſi pubis ſiniſtro innatam, intus prope ſynchondroſin, refert Pinæus (*o*); eandemque apud Pinæum conſpexit Bauhinus (*p*).

Examinans parturientem Ruleau, ut impedimenti præſentis naturam indagaret, mediæ & inferiori osſis pubis parti adhærentem oſſeam eminentiam, nucem magnitudine ſuperantem, detexit, & præterea ex

(*) In diario Göttingenſi (Göttingiſche anzeigen von gelehrten ſachen 1778. n. 30.), ſe rarum exemplum oſſificatæ cartilaginis osſium pubis, ex fœmina triginta quinque annorum, poſſidere, anonymus memorat.

(*o*) De integritatis & corruptionis virginum notis, graviditate, partu. lib. 2. cap. 5. pag. 139. Bonetus ſepulchret. Anatom. lib. 3. ſect. 38. Tom. 3. pag. 109.

(*p*) Theatr. Anatom. lib. 1. cap. 49. pag. 176.

ex lapſu curvatum tali modo coccygem invenit, ut vix duos immittere digitos valuerit. In hac feliciter Sectionem Cæſaream inſtituit, & ſupervenientibus ſymptomatibus medicinam fecit (*q*); ſi enim, per talem exoſtoſin adeo coarctatur pelvis, ut fœtus transire nequeat, nullum aliud, præter dictam operationem, ſupereſſe videtur auxilium (*r*): minores vero hujus naturæ eminentias non ſemper impoſſibilem partum reddere, ſi pelvis cæterum bene conformata eſt, illi probant infantes, qui diu pelvi incuneati hæſerunt, & in integumentis capitis impreſſiones, a talibus eminentiis factas, oſtendunt (*s*).

Quod autem plerumque difficilem, imo ſæpe lethalem, producant partum, docent caſus, hac de re adnotati.

Ex ingenti, duraque excreſcentia, ex ſuperiori oſſis ſacri parte e regione pubis enata, ovi ferme dimidii gallinacei formam & magnitudinem habente, ſuperiorem pelvis aperturam ſic anguſtante, ut caput pro-

(*q*) Traité de l'Operation Ceſarienne & des accouchemens difficiles & laborieux. Chap. 9. pag. 72. ſeq.

(*r*) Conf. Crantz de rupto utero §. 21. pag 28. Van Swieten Comment. in Aphor. Pract. Boerhavii Tom. 4. pag. 548.

(*s*) Memoir. de l'Acad. R. de Chirurgie Tom. 2. pag. 314.

prodire non potuerit, partus agrippinus, perdifficilis & lethalis obſervatus eſt (*t*).

Impoſſibilis omnino partus fœminæ fuit propter exoſtoſin, ad marginem pelvis ſuperiorem enatam, figuram caſtaneæ, cujus ſuperficies plana vertebras, convexa cavum pelvis reſpiciebat, referentem, & circiter novem lineas prominentem. Hæc exoſtoſis originem ducebat a parte media & laterali inferiore vertebræ lumborum ultimæ, & a parte media & laterali ſuperiore oſſis ſacri, ita ut a cartilagine, quæ inter vertebras dictas hæret, & quæ per medium hujus tuberculi exporrigebatur, in duas diſtinctas portiones oſſeas, quarum ſuperior vertebræ lumborum ultimæ, inferior vero primæ oſſis ſacri vertebræ, adfixa erat, divideretur: diſtantia ab hac exoſtoſi ad pubis arcum vix duobus pollicibus cum dimidio, diameter vero ab uno ileo ad alterum quatuor cum dimidio, æqualis reperiebatur. Et hanc varia produxiſſe mala, partium adjacentium anatomica contemplatio docuit (*v*), quemadmodum in aliis caſibus hoc etiam locum habuit (*w*).

In

(*t*) Cl. Van Doeveren Obſervat. Academ. cap. 12. pag. 177. ſeq.

(*v*) Thierry de partu difficili ex mala conformatione pelvis cap. 2. §. 19. Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 201.

(*w*) Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. ann. 5. 6. obſ. 133. pag. 270.

In Theatro Anatomico Argentoratenſi, in arcu pubis aniculæ detectam fuiſſe exoſtoſin, quæ, ex media arcus parte prominens, pollicem æquabat, minoremque aperturæ ſuperioris diametrum adeo arctabat, ut duos pollices decemque lineas non ſuperaret, legimus (*x*).

Vidit Portal ab exoſtoſi oſſium pubis productam iſchuriam, compreſſo maxime, per duram hanc prominentiam, veſicæ collo, notatque, ſimilem enormis magnitudinis oſſeam excrescentiam, ex ſacro enatam, eidem anſam dediſſe malo, visceribus, quæ ſedem ſuam in pelvi habent, verſus veſicam urinariam maxime preſſis (*y*).

(*x*) Thierry Diſſert. cit. cap. 2. §. 19. Theſaur. Diſſert. vol. 3. pag. 198.

(*y*) Precis de Chirurgie pratique Part. 2. pag. 688.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De numero diverſarum partium ſolito majore.*

Peccat defectu, peccat exceſſu natura, oſtenditque in quolibet ferme corpore, & paucioribus & pluribus organis eundem obtineri effectum poſſe. Di-

verſarum partium numerum, ſolito majorem, obſervare datum eſt.

In vaſis tale quid ſæpe locum habet, &, præter luſus jam alibi notatos (*a*), bis venam, cæterum ſine pari, duplicem vidi, hoc eſt, in quoque latere juxta corpora vertebrarum adſcendiſſe talem venam, quarum ſiniſtra, corpora vertebrarum transſcendens, in dextram ſeſe evacuabat, ante hujus in venam cavam ſuperiorem inſertionem (*b*). Hepaticam & lienalem arteriam, diſtinctis oſtiis, ex aörta originem duxiſſe (*c*), conſpexi: duplicem adfuiſſe ſpermaticam in quoque latere, ex aörta provenientem; duplicem in ſiniſtro, alteram ex aörta, alteram ex arteria emulgente (*d*), in adverſariis anatomicis me adno-

(*a*) Lib. 1. cap. 5. pag. 78. not. c. pag. 82. ſeq.

(*b*) In omnibus ferme obſervationibus hujus naturæ hoc locum habuit, & rariſſime diſtinctis oſtiis in venam cavam deſierunt. Conf. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 107. Adfuiſſe duplicem venam ſine pari, alteram venæ cavæ, alteram venæ ſubclaviæ ſiniſtræ, fuiſſe inſertam, vidit Clar. Wrisberg. Obſervat. Anatom. de vena azyga duplici, aliisque hujus venæ varietatibus. Gott. 1778. pag. 6. ſeq.

(*c*) Raro hoc contingere, ſeque nunquam id vidiſſe, notat Haller lib. cit. Tom. 6. pag. 146.

(*d*) Viderunt hoc in dextro latere Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Tom. 2. pag. 348. Hunter Medic. Comment. pag. 76. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 425.; in ſiniſtro latere plures, & inter hos Pohlius,

notaſſe, video. In brachiales arterias binas ſecesſiſſe ſubclaviam dextram, altera juxta radium, altera juxta ulnam ſeſe dimittente (*e*), obſervavi. Ductum pancreaticum, a principio ad finem duplicem, alterum cum choledocho communi oſtio deſinentem, alterum ad pollicarem ab hoc orificio diſtantiam in duodenum hiantem, animadverti; aliquoties ramum breviorem conſpexi, cum majori confluentem; principem ductum non cum choledocho concurriſſe, ſed diſtincto oſtio ſeſe evacuaſſe, notavi (*f*).

Lienem, diverſæ magnitudinis & molis in variis hominibus viscus, quod mihi etiam tantum ſeſe præbuit, ut pelvim non ſolum attigerit, ſed & eam intraverit (*g*), diviſum in binas partes plus ſemel vidi;

lius, qui in dextro latere in eodem corpore ſpermaticam arteriam ex renali enatam vidit, in ſiniſtro latere alteram ex aörta, alteram majorem ex renali. Obſerv. angiol. de arteriis pag. 12. Conf. Nicolai Diſſ. de directione vaſorum §. 17. in Halleri Collect. Diſp. Anatom. vol. 2. pag. 526. not. b. & Huberi Obſervat. Anat. in Theſaur. Diſſert. vol. 1. pag. 307.

(*e*) Conf. Ludwig de variantibus arteriæ brachialis ramis, in aneurysmatis operatione adtendendis. pag. 6. Nat. en Geneesk. Bibliotheek VIII. D. pag. 354. Pohlius Obſervat. angiol. de arteriis pag. 8. 9.

(*f*) Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 6. pag. 440. Ubi multiplex in hoc canali varietas memoratur.

(*g*) Exempla magnitudinis & ponderis inſignis lienis leguntur in Boneti

di; omenti ope ſolitæ magnitudinis lieni adhærebat alter, parvus, arterias venasque ab iisdem, ac lien, truncis accipiens (*h*). Vidi ſimili modo in tres fiſſum partes, magnam, minorem, minimam, quæ omnes ramos ab iisdem vaſis accipiebant (*i*).

Vix ullum dari viſcus, quod tot varietatibus obnoxium eſt, quam quidem Ren, omnes concedent Anatomici. Nonnullos, præſertim quoad vaſa, pelvis-

Boneti Sepulchret. Anat. lib. 3. ſect. 16. Tom. 2. pag. 283. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. variis locis. Schenckii Obſervat. medic. lib. 3. pag. 407. Donati Hiſt. medic. mirab. lib. 6. pag. 615. Nov. act. Acad. Nat. Cur. Tom. 1. pag. 289. Lanzonii Oper. Tom. 3. pag. 532. &c.

(*h*) Morgagni ſæpius duplicem lienem obſervavit de ſed. & cauſ. morb. epiſt. 37. art. 30. Epiſt. 38. art. 34. Epiſt. 64. art. 2. Epiſt. 62. art. 11. Sæpius vidit Hallerus in omento, ſub liene veriori, glandulam olivæ figura, lividam, multo minorem, cætera ſimilem vero lieni. Elem. Phyſiol. Tom. 6. pag. 387. Ubi plurima citantur exempla. Dignam, quæ ſuis annotationibus insereretur, obſervationem de liene ſupernumerario, judicavit ſummus Albinus lib. 7. cap. 14. pag. 86. Invenit lienem parvum ſupernumerarium, præter magnum, ſua in ſede naturaliter poſitum, cujus juxta inferiorem partem, in membrana, qua cum ventriculo connectitur, parvus ille erat, magnitudine nucis juglandis, lati pollicis intervallo diſtans a majore; eratque verus lien, nihil quicquam diſcrepans a majore, præter magnitudinem, tanquam ſeparatus ab eo, accipiebatque ramos a vaſis lienalibus.

(*i*) Blegny Zodiac. Medic. Gall. Ann. 3. obſ. 3. Verheyen Anatom. Tract. 2. cap. 16. pag. 85. tres memorant. Cheſelden bis duos, bis etiam tres, & ſemel quatuor lienes, ſe inveniſſe dicit. The Anatom.

viſque & renis formam, luſus communicavi (*k*). Meretur tamen ren dexter, in cadavere fœminæ inventus, memorari, duplici nempe pelvi, duplici etiam uretere, inſtructus (*l*).

Pel-

tom. of the human body. pag. 167. Philoſoph. Tranſact. n. 337. pag. 167. in Baddam's memoirs vol. 6. pag. 72. Quatuor vidit Medicus Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywiſſchenſchaft 1. Band. pag. 81.

(*k*) Lib. 1. cap. 5. pag. 78. ſeq.

(*l*) Dantur plures autores, qui duplicem pelvim, duplicem ureterem, memorarunt, ſed in longe plurimis caſibus ante inſertionem in veſicam urinariam confluxerunt. Tot exempla collegit Hallerus Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 225. ut ſufficiat pauca, ab ipſo non memorata, adtigiſſe. Weitbrecht in Comment. Petropol. Tom. 4. pag. 263. renem ſiniſtrum ex una pelvi duos ureteres produxiſſe, notat, qui ad diſtantiam pollicum duorum ab egreſſu jungebantur; renem dextrum pelves exhibuiſſe duas cum duobus ureteribus usque ad veſicam deductis, quod oppido raro occurrere, dicit. Marcorelle Memoir. de Mathem. & Phyſique Tom. 6. pag. 611. memorat duos ureteres ejusdem ferme capacitatis, quorum quisque ex diſtincta pelvi ex rene dextro enascebatur; ſuperior pelvis multo minor inferiore; ureteres ambo diſtinctis oſtiis in veſica hiabant. Schreiber utrimque ureteres duplices adfuiſſe, notavit. Epiſt. ab eruditis viris ad Hallerum ſcript. vol. 2. pag. 96. Duos etiam ad ſiniſtrum renem pertinentes Caldanius vidit. Epiſt. cit. vol. 6. pag. 144. Duplicem pelvim & ureterem, vix ante veſicam urinariam in unum confluentem, obſervavit Huber; in puella recens nata, amplam, longam, ſimplicem tamen pelvim vidit, ſed enatos inde binos ureteres, qui ante immiſſionem in veſicam in unum confluebant communem urinæ ductum Obſervat. Anatom. in Theſaur. Diſſert. vol. 1. pag. 308. In rene dextro duas pelves, duos inde exeuntes uretе-



res,

Pelvis, ſitu ſuperior (*m*), capacitatem non adeo inſignem habens, craſſitie digitum annularem referens, ſenſim contracta in ureterem (*n*) deſinebat. Pelvis inferior (*o*), multo capacior, forma ſua cum pelvi bene conſtituta conveniens, ſuum pariter emittebat ureterem (*p*), præcedenti craſſiorem; ambo ureteres, ferme ad veſicam urinariam (*q*) diſtincti, &, facillime ſeparanda cellulofa, nexi (*r*) ad parvam a veſica diſtantiam (*s*), videbantur confluere; rite tamen examinati revera diſtincti apparebant; alter, qui ex inferiori pelvi originem ducebat (*t*), diſtincto oſtio ſeſe intra veſicæ cavum aperiebat (*u*); alter, ex ſuperiori pelvi demiſſus (*v*), ulterius progrediebatur inter veſicæ tunicas (*w*), &, incurvo parumper ductu procedens (*x*), infra præcedentis oſtium ſeparato orificio terminabatur (*y*). Renalis dex-

res, ad ſex pollicum a rene diſtantiam conjunctos, memorat Pohlius in Program. obſervationes Anatomicas de ureteribus proponente Lipſiæ 1772. pag. 10. 11. Mitto obſervationes alias.

(*m*) Tab. VIII. Fig. 3. b.
(*n*) Tab. VIII. Fig. 3. c.
(*o*) Tab. VIII Fig. 3. d.
(*p*) Tab. VIII. Fig. 3. e.
(*q*) Tab. VIII. Fig. 4. a. a a. a.
(*r*) Tab. VIII. Fig. 4. b. c.
(*s*) Tab. VIII. Fig. 4. f.
(*t*) Tab. VIII. Fig. 3. d. e.
(*u*) Tab. VIII. Fig. 4. d.
(*v*) Tab. VIII. Fig. 3. b. c.
(*w*) Tab. VIII. Fig. 4. g.
(*x*) Tab. VIII. Fig. 4. inter g & e.
(*y*) Tab. VIII. Fig. 4. e.

dextra arteria (*z*), vario modo fiſſa (*a*), tum ante tum pone pelvim ſuperiorem (*b*), renem intrabat. Vena (*c*), pariter in ramos diſtributa (*d*), ante binas pelves (*e*), ad interiora renis pertingebat. Aderat vero alia vena (*f*), tenuis, ex vena cava enascens, & pone pelvim inferiorem (*g*) ad renem progrediens. In ſiniſtro latere duæ aderant arteriæ, altera capaciſſima ad angulum ferme rectum ex aörta proveniens, altera tenuior, ſuperiori loco ex aörta enascens, & oblique pone præcedentem decurrens, donec ad inferiorem renis partem pertingebat.

(*z*) Tab. VIII. Fig. 3. f.
(*a*) Tab. VIII. Fig. 3. 1. 2. 3. 4.
(*b*) Tab. VIII. Fig. 3. b.
(*c*) Tab. VIII. Fig. 3. g.
(*d*) Tab. VIII. Fig. 3. h. i. k.
(*e*) Tab. VIII. Fig. 3. b. d.
(*f*) Tab. VIII. Fig. 3. l.
(*g*) Tab. VIII. Fig. 3. d.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De vaſe chylifero.*

Vaſa lactea primi generis, ab Aſellio detecta (*a*), depicta (*b*), in vivis animalibus, in hominibus violenta

(*a*) Inventi hiſtoriam egregie dedit Hallerus Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 201.
(*b*) Inſpici merentur tabulæ tres, additæ Diſſertationi de lactibus

 ſive

lenta morte peremtis, facillime conſpicienda, a multis demonſtrata, a nobis etiam in infante paucarum ſeptimanarum, cui glandulæ meſenterii admodum tumidæ (*c*), bini præterea in ileo volvuli (*d*), erant, oſtenſa

ſive lacteis venis Mediolani 1627. editæ, tribus coloribus diſtinctæ, quas poſteriores, notante etiam Hallero Biblioth. Anatom. Tom. I. pag. 362., corruperunt.

(*c*) Glandulæ meſenterii obſtructæ chylum non niſi difficulter transmittere potuiſſe, videbantur; ſubſtiterat ergo crasſior præprimis pars in vaſis lacteis, eaque diſtincta admodum reddiderat. Vidit Ludwig vaſa lactea in puella ſeptem annorum, quæ glandulas meſenterii ſcirrhoſas habebat. Epiſt. ab Eruditis viris ad Hallerum ſcript. vol. 2. pag. 94. In viri cadavere, qui ex lenta febre perierat cum hepatis, lienis, pancreatis, glandularum meſeraicarum obſtructione, viginti poſt horas inciſo, aliquas primi generis venas, ob reſidem chylum evidentes, & conſpicuas, detexit Fantonus Diſſert. Anatom. 5. pag. 176. Taurini 1745. Vidit Lieberkühn in cadaveribus hominum, lacte copioſo paulo ante mortem nutritorum, vitioque pulmonum & infarctu glandularum meſentericarum extinctorum, vaſa lactea caſeo repleta, & quidem longe majori copia, quam ipſa vaſa ſanguifera, non tantum in meſenterio, ſed in ipſa etiam tunica inteſtinorum vaſculoſa. De fabrica & actione villorum inteſtinorum tenuium hominis. pag. 2. 3. Conf. Cl. Velſe Diſſ. de mutuo inteſtinorum ingreſſu, & aliis machinæ humanæ extraordinariis part. 2. n. 6. in Halleri Collect. Diſput. Anatom. vol. 7. pag. 129.

(*d*) Volvuli tales erant, ut ſuperior pars inteſtini in inferiorem eſſet protruſa, conſtrictio autem non adeo valida, quin, aëre magna vi per inteſtinum propulſo, canalis liberaretur. Sæpiſſime & in junioribus & in adultioribus tales volvuli conſpiciuntur. Morbum vero quandoque congenitum eſſe, oſtendit Clar. Beireis. Hic infantem, aliquot

ſa (*e*), ex inteſtinis ad glandulas, per meſenterium diſperſas, decurrunt, per illas ſeſe diſtribuunt. Ex glandulis minori numero prodeuntia ſecundi generis lactea, in majores truncos collecta, ad ciſternam lumbarem deſinunt. Ab hac procedens, ductus thoracicus, Euſtachio ex equo cognitus (*f*), a Pecque-

quot hebdomades ante tempus, a natura deſtinatum, excluſum, qui per totam vitam lac omnemque cibum & potum vomitu rejecerat, ſtercus nunquam ex alvo excreverat, examinans, inteſtina aëre incredibili modo turgentia, vidit, in ileo intusſuſceptionem, dum inteſtini hujus pars una cum meſenterio ipſi annexo in ſuperiorem ad unius pollicis altitudinem adſcenderat, & cum vagina ſua coaluerat; pars ſurſum verſus recepta, & totus inteſtinorum tubus, a morbi ſede ad anum usque ita coarctata & corrugata erat, ut in ſuperiori parte nullum in inferioribus minimum tantum cavum relictum eſſet; vaſa lactea, in meſenterio diſperſa, chylo ita diſtenta erant, ut digitis meſenterio admotis ſuccus albus nutriens in cavum inteſtini exprimi poſſet. Diſſ. de inteſtinis ſe intus ſuſcipientibus & rariſſima hujus morbi congeniti obſervatione, Præſide G. C. Beireis def. E. G. Neumeiſter Helmſt. 1768. pag. 41. ſeq.

(*e*) Conf. Tab. VIII. Fig. 5.

(*f*) In equis, inquit, ab inſigni trunco ſiniſtro juguli, qua poſterior ſedes radicis venæ internæ jugularis ſpectat, magna quædam propago germinat, quæ præterquam quod in ejus origine oſtiolum ſemicirculare habet, eſt etiam alba, & aquei humoris plena, nec longe ab ortu in duas partes ſcinditur, paulo poſt rurſus coëuntes in unam, quæ nullos ramos diffundens juxta ſiniſtrum vertebrarum latus, penetrato ſepto transverſo, deorſum ad medium usque lumborum fertur, quo loco latior effecta, magnamque arteriam circumplexa, obſcuriſſi-

 mum.

queto (*g*) vero præprimis oſtenſus, inter aörtam, & venam ſine pari juxta vertebrarum corpora, inter media diaphragmatis capita, thoracem ingreſſus, adſcendit, dein pone arcum aörtæ ſiniſtrorſum vergit, pone venam ſubclaviam ad inſignem altitudinem decurrit, tum ſeſe demittit, & in venam ſubclaviam ſeſe inſerit, ubi ab anteriore ex illa jugularis interna producitur, mox infra valvulas, quæ jugularem ab ea diſterminant (*h*).

Innumeras eſſe hujus viæ varietates ſummo jure monuit Hallerus, ſeduloque præcipuas notavit (*i*), non paucas invenit etiam Albinus, & nonnullas notabiliores (*k*). Horum aliorumque obſervationes ut meis

mum finem, mihique adhuc non bene perceptum, obtinet. De vena ſine pari antigr. 13. Opuſc. Anat. pag. 280.

(*g*) Libro, cui titulus; Experimenta nova Anatomica, quibus incognitum chyli receptaculum, & ab eo per thoracem in ramos usque ſubclavios vaſa lactea deteguntur. Pariſiis 1651. qui poſtea variis locis recuſus eſt.

(*h*) Conf. egregia Albini tabula vaſis chyliferi, cum vena azyga, arteriis intercoſtalibus, aliisque vicinis partibus, & ſummi viri Annot. Acad. lib. 4. cap. 9. pag. 38.

(*i*) Proprias obſervationes collegit in Diſſ. a C. M. C. Busmann Göttingæ 1741. defenſa, & in Collect. Diſput. Anat. vol. 1. pag. 795. recuſa. Suis addidit aliorum adnotata in Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 222.

(*k*) Annot. Acad. lib. 4. cap. 9. pag. 47. 48. 49. Variationes in ductu

meis adaugere poſſim, iisque rarioribus, fecit frequenter inſtituta, & quaque hyeme aliquoties repetita, in diverſæ ætatis corporibus, lacteæ hujus viæ præparatio.

Ciſterna, in quam ſecundi generis lactea terminantur, quandoque nulla adfuit, ſeu ovalis ampullæ formam non habuit, ſed in binis caſibus duo, in uno caſu tria vaſa, ſic confluxerunt, ut ductus, inde enatus, ab ipſo principio ferme ad finem eandem habuerit capacitatem (*). Habuit contra hoc vaſis chyliferi principium in corpore fœminæ inſignem & capacitatem & longitudinem, ſic ut illa craſſitiem digiti medii, hæc pollicem ſuperaverit.

Sæpiſſime ſimplex fuit ductus, abſque ut ulla inſula adeſſet (*l*), quandoque in binos ramos, poſtea ite-

ctu thoracico viſas etiam memorat Bang Societ. Medic. Haſn. Collect. vol. 1. pag. 82.

(*) Nullam cyſternæ aut ejusmodi amplioris vaſis formam, occurriſſe, non raro obſervavit Santorini, cujus annotata de vaſis lacteis & ductu thoracico inſpici merentur. Conf. Jo. Dom. Santorini Septendecim tabulæ, quas nunc primum edit atque explicat, iisque alias addit Michaël Girardi. Parmæ 1775. pag. 156.

(*l*) Fere ſemper inſulam efficere, dum in duos ramos diſcedit, & poſt iterum in unum truncum coït, dicit Haller lib. cit. pag. 220. Conf. Ipſius Obſervat. de ductu thoracico §. 6. not. a. in Diſput. Anatom. vol. 1. pag. 797. not. c.

iterum confluentes, fiſſus, ſubinde duplicem talem anſam exhibuit (†). Semel a principio ferme ad finem duplex fuit; ex ciſterna enaſcebantur duo rami, alter ſolito more juxta vertebrarum corpora inter aörtam & venam ſine pari adſcendebat, alter, aörtæ ſeſe ſubjiciens, in latere ſiniſtro emergens, & juxta aörtam ante arterias intercoſtales adſcendens, ad primum ramum, ubi hic in ſuperiore parte thoracis verſus latus ſiniſtrum procedit, deſinebat (*m*). Hoc in caſu non tantum, ſed in omnibus, ſemper pone ductum, arterias, venasque, intercoſtales, aörtæ & azygæ ramos, inceſſiſſe vidi (*n*).

Ex ciſterna ortum ad notabilem altitudinem adſcendiſſe ductum, deinde recurvatum deſcendiſſe, rurſus autem altiora loca petiiſſe, conſpexi. Nunc vas lympha-

(†) Modo ſemel, modo etiam iterum diremtum adſpexit Santorini, ac in anu ad aliquot digitorum, decem circiter, bifidum invenit, prorſus duplicem comperit nunquam. Lib. cit. pag. 157.

(*m*) Quandoque vas lymphaticum inſigne ductui inſeritur, quod, pro ramo ductus habitum, bifurcationem mentitur. Saltzmann Encheireſis nova ductum thoracicum demonſtrandi. Argentorati 1711. in Halleri Collect. Diſput. Anatom. vol. 1. pag. 710. not. a.

(*n*) Supergreſſas arterias intercoſtales notavit & delineavit Saltzmann. lib. cit. pag. 710. Modo ante modo retro vaſa intercoſtalia perrexiſſe, notat Haller Obſervat. de ductu thoracico pag. 11. Diſput. Anatom. vol. 1. pag. 797.

phaticum majus in pectore accepit, nunc magnum talium vaſculorum numerum, aut adpoſitam habuit glandulam, talibus vaſis, cum ductu communicantibus, ditiſſimam.

Varius fuit finis. Ad altitudinem duorum pollicum ſupra venam ſubclaviam adſcendentem vidi, pone jugularem internam ſeſe demittentem, porro ab externo hujus venæ latere ſeſe monſtrantem, ibique venæ ſubclaviæ inſertam (*o*). Orificium plerumque unicum fuit. Viſus eſt, ſeſe in binos findere ramos, alterum juxta collum adſcendentem, hamo facto demiſſum, & ad ſolitum dictæ venæ locum terminatum; alterum a trunco ex thorace oblique pone venam adſcendentem, ſed in ramum priorem ſeſe aperientem, ad parvam ab ipſius inſertione diſtantiam. In cadavere fœminæ vas chyliferum, ex capaciſſima cyſterna ortum, per thoracem adſcendens, verſus ſiniſtrum latus recedens, anſam formabat, ramis iterum ad ſe accedentibus, tum vero in quatuor findebatur

(*o*) Ad ſeptimam colli vertebram adſcendiſſe ſupra ſubclaviam arteriam, & iterum deſcendiſſe, oblique ſiniſtrorſum deſinentem, in alio absque ullo adſcenſu in inferiorem venæ ſubclaviæ partem intraſſe, habet Hallerus Obſervat. cit. pag. 13. 14. Diſput. Anatom. vol. 1. pag. 798.

batur ramos, binos capaciores, totidemque minus capaces, qui omnes diſtinctis oſtiis in vena hiabant (*p*).

In alio corpore ductus ad ſubclaviam venam ſiniſtram tendebat, ſed in thorace ramum emittebat, cum vicina vena ſine pari communicantem (*q*), ſic ut, præparatione hujus viæ, ferme ad modum ab Albino deſcriptum (*r*), facta, lac non tantum venæ ſubclaviæ infunderetur, verum prius venam ſine pari adimpleret, ejusque ramos diſtenderet.

(*p*) Tres vidit inſertiones Hallerus Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 223. qui & alios, huc referendos, obſervatores citat.

(*q*) Obſervarunt hoc etiam Cl. Velſe Diſſert. cit. in Halleri Collect. Diſp. Anatom. vol. 7. pag. 149. & Wrisberg. Obſervat. Anatom. de vena azyga duplici aliisque hujus venæ varietatibus Gotting. 1778. pag. 9.

(*r*) Annotat. Acad. lib. 4. cap. 9. pag. 40. Tubulo inciſæ radiculæ inſerto, eaque circa tubulum filo conſtricta, alteri tubuli extremitati, longæ ſatis, & capaci, lac infundere ſoleo, ut ex ſublato tubulo paulatim proprio pondere deſcendat in ciſternam, unde, comprimente hunc locum digito, ulterius propellitur. Si lac ore infunditur, leviterque impellitur, aër etiam intrat, qui impedit, quo minus totus ductus & vena ſubclavia rite lacte adimpleantur.

FI-

# FIGURARUM EXPLICATIO.

## TABULÆ I.

Uterus, fœtu gravidus. Contenta abdominis in ſitu naturali, inciſis ac reflexis integumentis, muſculis, peritonæo.

a. a. a. a. a. Integumentorum, muſculorum, peritonæi, ſegmenta, extrorſum flexa.

b. c. d. d. Uterus gravidus, relicta pelvi, abdominis capacitatem ingreſſus; regionem hypogaſtricam b, umbilicalem c, locaque inania d. d. occupans; nullis inter peritonæum, & uteri corpus, partibus intermediis.

e. e. Inteſtina tenuia, omento tenui tecta, partem ſuperiorem uteri integentia.

f. Eadem inteſtina, a latere dextro uteri deſcendentia.

g. Tenuia a latere ſiniſtro uteri conſpicua.

h. Ventriculi portio.

i. Lobus hepatis ſiniſter.

k. Hepatis dexter lobus.

l. Ligamentum latum hepatis.

m. Ligamentum rotundum, vena olim umbilicalis. Vide Caput I.

## TABULÆ II.

### Fig. 1.

Contenta uteri, ſublato anteriore ipſius ſegmento. Filamentoſa membrana cum chorio ſurſum reflexa; Placentæ ſedes; amnios; transparens fœtus, liquori ſuo innatans. Contenta abdominis lineis tantummodo deſignata ſunt in hac & ſequentibus figuris, quippe ex Tabula prima ſatis cognita.

a. a. a. Sectus uterus, & in ſectione apparentia vaſa, majora, minora, venoſa, arterioſa, cultro diviſa.

b. b. Chorii portio cum filamentoſa ſurſum reflexa, & tenuibus inteſtinis accumbens.

c. c. Ejusdem membranæ pars, placentæ adhuc adhærens.

d. Amnios, contento liquore expanſa.

e. Tranſparens dorſum fœtus cum nate dextra.

f. Femur ejusdem lateris.

g. Pes ſiniſter, ex fundo quaſi emergens, & ovi velamento intimo appreſſus.

h. Placenta, quæ anteriori, jam ſublato, uteri ſegmento adhæſit.

i. i. i. Nonnulla ex tuberculis, in externa placentæ ſuper-

ſuperficie conſpicuis, ſulcorum profundorum ope ab invicem diſtinctis.

## Fig. 2.

Interiora uteri cum partibus nonnullis fœtus; ſecto intimo ovi velamento, illoque una cum placenta, quantum fieri potuit, ad ſiniſtrum femur reclinato.

a. a. a. Sectus uterus, & in ſectione apparentia vaſa majora, minora, venoſa, arterioſa, cultro etiam diviſa.

b. b. Interiora uteri, velamentis ovi adhuc tecta.

c. Placentæ, reclinatæ, interior ſuperficies, amnio tecta.

d. d. Ambitus placentæ, in velamenta ovi deſinens, unde amnios dependet.

e. Dorſum fœtus.

f. Natis dextra.

g. Femur ejusdem lateris.

h. Crus dextrum.

i. Pes dexter.

k. Pedis ſiniſtri planta.

l. Manus ſiniſtra.

m. Funis umbilicalis, inter crus dextrum & manum ſiniſtram ſitus.

n. Funis inſertio in placentam.

o. o. o. Vaſorum arterioſorum & venoſorum per placentam diſtributio.

Vide Caput I.

## TABULÆ III.

### Fig. 1.

Situs veſicæ urinariæ, & partis inferioris uteri; ſublatis oſſibus pubis, una cum genitalium ſuperiore parte, remota placenta.

a. a. Oſſa pubis reſecta.

b. b. Oſſium iſchiorum reſectæ partes, quæ in oſſa pubis deſinunt.

c. Vaginæ introitus.

d. Perinæum.

e. Veſica urinaria, ante peritonæum ſita.

f. f. Peritonæi, celluloſa tecti, partes, quæ pelvim, a latere veſicæ, ab interiore inveſtiunt.

g. Margo peritonæi, pone veſicam adſcendentis, & ſupra oſſa pubis muſculos inveſtientis, ad muſculos abdominales h. h. tendens.

i. i. Integumentorum & ſubjacentium partium ſectio.

k. Pars capitis lateralis dextra.

l. Funis umbilicalis, a placenta reſectus.

Fig. 2.

## Fig. 2.

Uterus, ad collum usque apertus; verus capitis ſitus; orificium, muco clauſum, intra vaginam prominens, parumper ſublatum; remota veſica urinaria, ſublata ſegmenti anterioris uteri illa parte, quæ inter veſicam caputque fœtus hactenus erat relicta.

a. a. Partis inferioris ſegmenti anterioris uteri ſectio ad collum usque.

b. b. Vagina aperta, ejusque latera ab invicem dimota.

c. Collum uteri intra ſuperiorem vaginæ partem prominens, ad anteriora promotum.

d. Orificium ipſius muco occluſum.

e. Occiput fœtus, oſſi innominato ſiniſtro accumbens.

f. Frons verſus dextrum os innominatum directa.

Vide Caput I.

# TABULÆ IV.

## Fig. 1.

Uterus, exemto fœtu, vacuus, velamentis tamen ovi adhuc tectus. Apertum ad oſtium usque collum.

a. a. a. a. a. Sectus uterus ad collum usque. In ſectione

tione apparent diſciſſa vaſa, majora, minora, venæ, arteriæ.

b. Interiora uteri, velamentis ovi adhuc tecti.

c. c. Collum diſſectum.

d. Labium orificii poſterius, intra vaginam propendens.

e. Interiora colli.

f. f. Vaginæ latera explicata.

## Fig. 2.

Capacitas, quam uterus, fœtu gravidus, jam verſus anteriora reclinatus, occupavit. Inteſtini recti decurſus per pelvim.

a. Uteri, cavo abdominis exemti, verſus anteriora inclinati, ſuperficies poſterior.

b. b. Tubæ, ligamenta, lata & rotunda.

c. c. Ovaria.

d. d. Inteſtina tenuia, quæ fundum uteri antea integebant, ſuo in ſitu retenta, ut ſpatium, quod occupavit uterus, omnino vacuum conſpiceretur.

e. Inteſtinum colon infra tenuia emergens, & in rectum deſinens.

f. Rectum inteſtinum, oblique pone uterum ad mediam ferme pelvis partem tendens, & in anum deſinens.

g. Ca-

g. Capacitas pelvis, peritonæo tecta, ſic ut partes ſubjectæ diſtincte conſpici non poſſint.

Vide Caput I.

## TABULÆ V.

### Fig. 1.

Portio inferior & poſterior uteri, ejus orificii, labiique hujus poſterioris intra vaginam prominentia.

a. a. Sectio & craſſities uteri.

b. b. Sectio colli.

c. Æquabilis uteri interna ſuperficies.

d. d. Pars poſterior colli.

e. e. e. e. Rugæ ſeu eminentiæ, quales hac in parte plurimæ adſunt.

f. f. f. Parva foramina inter rugas hiantia.

g. g. Labium poſterius inſigniter intra vaginam deſcendens.

h. h. Vagina aperta.

### Fig. 2.

Portio illius partis uteri, cui placenta adhæſit.

a. a. b. b. Craſſities hujus partis.

c. c. c. Foramina majora, minora, rotundula, ova-

ovata, diſciſſorum vaſorum, venarum, arteriarum, orificia.

d. Interna ſuperficies, cui placenta adhæſit.

e. e. e. Sinus, antea per tubercula placentæ (Tab. II. Fig. 1. i. i. i.) occluſi, in quos deſinunt

f. f. Vaſa plura, pauciora, magis minusve capacia.

## Fig. 3.

Portio illius partis uteri, cui placenta non adhæſit.

a. a. b. b. Craſſities hujus partis.

c. c. Foramina minora, majora, diſſectorum vaſorum orificia.

d. Superficies æquabilis, villoſa tamen, cui velamenta ovi adhæſerunt.

## Fig. 4.

Ovarium dextri lateris.

a. a. Ligamentum latum, cui ovarium adhæret.

b. b. b. Tuberculata ipſius ſuperficies.

c. c. c. Sulci vel foveæ inter illa tubercula.

## Fig. 5.

Ovarium ſiniſtrum.

a. a. Latum Ligamentum, cui ovarium adhæret.

b. b. b.

b. b. b. Superficies ovarii tuberculata.
c. c. c. Sulci inter tubercula conſpicui.

## Fig. 6.

Oſſa pubis a parte interiore ab invicem remota, ut cartilagines, hæc nectentes, ſectis ab interiore ligamentis, conſpicuæ ſint.

a. a. Rami oſſium pubis ſuperiores.
b. b. Rami oſſium illorum inferiores.
c. c. c. c. Ligamentorum diſſectorum margines.
d. Cartilago dextrum os pubis integens convexa.
e. Cartilago ſiniſtrum os pubis integens concava.
De his vide Caput I.

## Fig. 7.

Collum uteri intra vaginam prominens, vix ulla apertura gaudens.

a. a. Vaginæ, ad collum uteri usque inciſæ, lamellæ, ſurſum reflexæ.
b. Pars poſterior vaginæ.
c. c. Labia orificii uterini intra vaginam prominentia, absque ulla fiſſura intermedia.
d. Exigua admodum apertura, quæ non niſi aërem transmiſit.
Vide Caput II.

## Fig. 8.

Funis umbilicalis in verum nodum conſtrictus.

a. a. a. a. Binæ arteriæ.

b. b. Vena unica.

c c. Nodus verus.

Vide Caput IV.

## Tabulæ VI.

## Fig. 1.

Ovum integrum, cum membrana decidua, abortu a muliere perditum.

a. Membranæ ovi, humorem amnii continentes.

b. b. Placentæ vaſa.

c. Membrana decidua, qua parte utero adhæſit, ſenſim inferiora verſus contracta.

d. Foramen in parte ipſius inferiore viſum.

e. e. Tranſparens ovum, mucrone ſuo intra deciduæ capacitatem dependens, & per illam tranſparens.

f. f. Exterior ſuperficies inæquabilis.

g. Depreſſiones, inter inæqualitates obviæ.

## Fig. 2.

Idem ovum, aperta membrana decidua.

a. Membranæ ovi, humorem amnii continentes.

b. b.

b. b. Placentæ vaſa ſolutiora.

c. c. d. Decidua membrana, ab inferiore ſurſum aperta, & verſus latera reflexa.

e. e. Interior deciduæ ſuperficies.

f. f. Pars inferior ovi, decidua tecta.

g. Decidua, ubi ad ovum pervenit, ſeſe reflectens, ſic ut c. d. c. e. e. deciduam externam; f. g. f. deciduam reflexam, forment.

## Fig. 3.

Ovum humanum, absque ullo fœtus indicio.

a. a. Flocculenta ſubſtantia, vaſa placentæ ſoluta.

b. Membranæ ovi.

c. Interior amnii ſuperficies.

d. Veſicula, humore plena, internæ huic ſuperficiëi continua.

e. Filum tenue, ex hac veſicula productum.

f. Finis hujus fili, & adhæſio ad internam ovi membranam.

## Fig. 4.

Portio membranæ amnios, cum adhærente veſicula, humore plena.

a. a. Interior ſuperficies membranæ amnios.

b. Veſicula, humore plena, huic contigua.

c. Filum tenue, ex hac veſicula productum, & libere intra ovum dependens, fine ſuo quaſi laceratum.

De his vide Caput I. & III.

## Fig. 5.

Pars placentæ, in hydatides degeneratæ.

a. Diſcus quaſi, ſeu pars maxime compacta.

b. b. b. Veſiculæ parvæ, humore plenæ, in hoc diſco conſpicuæ, non vero liberæ.

c. c. c. Racemi hydatidum, ab hoc diſco dependentes.

d. d. d. d. Veſiculæ plurimæ, humore diſtentæ, a pedunculis dependentes, pedunculorum ope inter ſe cohærentes.

## Fig. 6.

Vas, in hydatides expanſum.

a. Pars maxime contracta, & in ligamenti ſpeciem mutata, dein rurſus dilatata.

b. b. Pedunculi varii ex una hydatide naſcentes.

c. c. Hydatides his pedunculis adhærentes.

d. d. Hydatides aliæ præcedentibus nexæ.

De his vide Caput III.

## Tabulæ VII.

Placenta cum fune umbilicali ex velamentis prodeunte. Placenta ſic poſita, ut ex fune, pone ovum reflexo, ibique evaneſcente, quaſi dependeat, & expanſi chorii interna ſuperficies, remota amnio, cum vaſis, ex fune juxta chorion adſcendentibus ad placentam, & per eandem ſeſe diſtribuentibus, conſpici poſſit.

a. Placenta.

b.b. Ipſius Longitudo.

c.c. Latitudo ejusdem.

d.e.f. Interior Chorii ſuperficies.

g.g. Ejusdem membranæ pars prope placentæ marginem reſecta.

h. Funis umbilicalis.

i.i.i.i. Binæ arteriæ, quibus conſtat.

k.k. Vena umbilicalis.

l. Velamentorum locus, placentæ oppoſitus, unde prodit funis.

m.n. Arteriæ binæ a ſe invicem recedentes.

o.o. Margo placentæ, ad quem vaſa arterioſa cum venoſis pertingunt.

p. Alterius arteriæ bifurcatio.

q. Similis vaſis arterioſi diviſio in oppoſito latere.

r.r.r.r.

r. r. r. r. Arteriarum per ſuperficiem placentæ diſtributio.

s. s. s. s. Earum ingreſſus in ſubſtantiam placentæ.

t. Vena in binos ramos u. v. fiſſa.

u. Venæ umbilicalis alter ramus tenuior, ad placentæ marginem, abſque ut in ramos findatur, pertingens.

v. Alter ramus hujus venæ, craſſior, fiſſus in

w. w. Binos ramos, tenuiorem craſſiorem.

x. x. x. Horum ramorum diſtributio per ſuperficiem placentæ & ingreſſus in ipſius ſubſtantiam.

Vide Caput IV.

## Tabulæ VIII.

### Fig. 1.

Pars anterior pelvis, cujus oſſa pubis anchyloſi concreta.

a. a. a. a. Oſſa pubis.

b. b. c. c. Hiatus inter hæc oſſa ab anteriore relictus, latior inter b. b. minus latus inter c. c.

d. Oſſea ſubſtantia, quæ oſſa pubis ſuperiori in loco nectit, & retrorſum deorſumque tendens tuberculi ad inſtar ab interiore parte pelvis prominet, ut ex Fig. 2. patet.

f. f.

e. e. Tubera oſſium iſchiorum.

f. f. Acetabula.

g. g. Foramina, quæ oſſa pubis iſchiique relinquunt.

h. Pars ſuperior acetabuli, os pubis reſpiciens, inſigniter adſurgens.

i. i. i. Eminentiæ acutæ, in quas hæc pars deſinit.

k. Exoſtoſis magna, ex ſuperiori parte ſeſe demittens, pro parte etiam ex margine acetabuli l.

m. Foramen, quod inter binas radices hujus exoſtoſis relinquitur.

n. Altera Exoſtoſis, ex illa oſſis iſchii parte o. proveniens, quæ ab anteriore defectum in acetabuli margine monſtrat.

p. Hic loci foramen datur, relictum inter primam & ſecundam exoſtoſin, quod tamen hoc in ſitu non adeo conſpicuum eſt.

q. Tertia exoſtoſis, ex ramo deſcendente oſſis pubis enata.

r. r. Inæqualitates harum trium exoſtoſium.

## Fig. 2.

Pars interior ejusdem pelvis, ut nexus oſſium pubis ab interiore pelvis pateat.

a. a. Oſſa pubis.

b. c. Lamella oſſea, quæ pubis oſſa connectit.

d d. Tubera oſſium Iſchiorum.

e. Exoſtoſis maxima.

f. Alter ipſius radix a margine acetabuli.

g. Foramen, quod inter binas radices hujus exoſtoſis relinquitur.

h. Altera exoſtoſis, ex illa oſſis iſchii parte proveniens, quæ ab anteriore defectum in acetabuli margine monſtrat.

i. Foramen, quod inter primam & ſecundam exoſtoſin relinquitur.

k. Tertia exoſtoſis.

De his vide Caput VI.

## Fig. 3.

Ren dexter cum duplici uretere, ſic poſitus, ut ſinus, quem vaſa ingrediuntur, pelves vero exeunt, optime pateat.

a. Ren dexter.

b. Pelvis ſuperior, non admodum capax.

c. Ureter, ex ſuperiori pelvi enaſcens.

d. Pelvis inferior, ſolitæ capacitatis.

e. Ureter, ex hac pelvi productus.

f. Ar-

f. Arteria renalis dextra.

1. 2. 3. 4. Quatuor rami, in quos finditur, quorum tres. 1. 2. 4. ante, unus. 3. pone ſuperiorem pelvem, renem intrat.

g. Vena renalis dextra.

h. i. k. Rami tres, in quos vena dividitur, ante pelves binas renis ſubſtantiam ingredientes.

l. l. Vena alia renalis, ex cava enata, & pone pelvem inferiorem ad renem pertingens.

## Fig. 4.

Portio tunicæ internæ veſicæ urinariæ, cum exitu binorum ureterum.

a. a. Interna veſicæ urinariæ tunica.

b. Ureter, ex inferiore pelvi Fig. 3. d. enatus.

c. Ureter ex ſuperiore pelvi Fig. 3. b. productus.

d. Orificium ureteris b.

e. Oſtium ureteris c.

f. Locus, ubi inter veſicæ tunicas decurrunt, & confluere videntur.

g. Ulterior decurſus ureteris c.

De his vide Caput VII.

## Fig 5.

Portio Inteſtini ilei ex infante cum duobus volvulis, & conſpicuis admodum vaſis lacteis.

a. a. Inteſtini ilei portio.

b. b. Bini volvuli, ſic facti, ut pars ſuperior inteſtini inferiorem intraverit; hæc vero inferior cinguli adinſtar ſuperiorem comprehendat.

c. c. c. Glandulæ majores, minores, per meſenterium diſperſæ.

d. d. d. d. d. Vaſa lactea, ex inteſtinis producta, & ad meſenterii glandulas decurrentia, arterias venasque concomitantia.

Vide Caput VIII.

# INDEX CAPITUM.

I.

*De utero gravido.* Pag. 1

II.

*De obliquitate uteri, præternaturali orificii ipſius conſtitutione, & tubis Fallopianis penitus occluſis.* 57

III.

*De ovo humano, abſque ullo fœtus indicio, & placentæ in hydatides degeneratione.* 76

IV.

*De placenta duplici; rariori funis umbilicalis cum illa nexu; veris nodis in fune viſis.* 90

V.

*De rudiori placentæ protractione, indeque nata lethali matricis inflammatione.* 106

VI.

*De anchyloſi oſſium pubis.* 115

VII.

*De numero diverſarum partium ſolito majore.* 125

VIII.

*De vaſe chylifero.* 131

*Tabularum explicatio.* 139

# INDEX RERUM.

Abdominis conſtrictio in graviditate peſſimos producit effectus. 26.
Exempla, quæ hoc probant. pag. 27. not. c.
Abortus cauſæ variæ. 26. 102
Allantoïs nondum demonſtrata eſt. 39
Amnii deſcriptio. 38. 39. 40
—— liquoris examen. 44. 45
—— —— uſus. 45. 46
Anchyloſis innominatorum oſſium. 115. 116. 117
———— maxillæ inferioris. 117. not. k.
———— oſſium pubis rariſſime conſpicitur. 115. Exemplum hujus morbi. 118
———— oſſis ſacri cum ſpina. 117
Aquæ calidæ injectiones in uterum ſummam ſæpe utilitatem præſtant. 108. not. a.
Arantio præcipuus honor in deſcribendo utero gravido debetur. 4. not. a.
Arteriæ brachiales binæ ex ſubclavia enatæ. 127
—— hepatica & lienalis diſtinctis oſtiis ex aörta originem trahentes. 126
—— ſpermatica duplex in quoque latere. 126. in unico. ibid.
Azyga vena duplex. 120 & not. b.
—— —— cum ductu thoracico communicans. 138
Brachiales arteriæ binæ ex ſubclavia enatæ. 127
Cæſareæ ſectionis poſſibilitas. 26
Cattus, anatomicus Neapolitanus, primam uteri bipartiti diſſectionem dedit. 63. not. †.
Cauſæ abortus variæ. 26
—— monſtrorum accidentales. 26. 27
Chorii deſcriptio. 38. 40
Ciſternæ lumbaris varietates. 135
Concuſſionum in graviditate noxæ. 26
Craſſities uteri gravidi. 11. 50. Differt hæc in variis caſibus. 50. 51. & diverſis uteri partibus. 51. Errores hac in re commiſſi. 51
Decidua externa ovi membrana. 40. 43. 79

Deci-

Decidua reflexa. 41. 43. 79
Deglutitio an peragi poſſit a fœtu, in utero delitescente. 46. not. i.
Ductus pancreaticus duplex. 127. Finis a choledochi apertura diſtinctus. 127
—— thoracici deſcriptio. 131. 133. Decurſus. 134. Finis 137. Varietates. 134. Communicatio cum vena ſine pari. 138
—— —— præparatio. 138. not. r.
Exoſtoſes variæ in pelvis oſſibus viſæ. 121. 122
Exploratio ventris gravidæ quid doceat. 25
Fallopianæ tubæ occluſæ. 58. 60. 73. Cauſa ſterilitatis. 73
—— —— Uſus earum maxime probabilis. 75
Filamentoſa uteri membrana. 10. 38. 41
Fœminæ in procreando officium. 3
Fœtus in utero materno ſitus, integra membrana ovi intima, amnio. 11., eadem aperta 12. Naturalis quis ſit dicendus? 47. An ſeptimo menſe vertatur. 49
—— indurati, in abdominis cavo per viginti & duos annos retenti, hiſtoria. 36. not. i.
—— ſæpe perit, etiamſi ovum in utero retinetur. 77. 80
Fœtuum, extra uterum in abdominis cavo inventorum exempla. 35. not. i. in tubis. 76 not. y.
—— in utero adhuc delitescentium, morbi vix unquam deteguntur. 76
Forma & figura uteri gravidi. 30. in genere ovata eſt. 30. Undenam illa adeo diverſa deſcribitur. 31
Funis umbilicalis abſens. 101. not. z.
—— —— admodum tenuis. 101. not. a.
—— —— bifidus. 93. not. q.
—— —— juſto longior. 101. not. d.
—— —— longitudo naturalis. 101. not. c.
—— —— nectitur rarius cum media placentæ parte 93. Rariſſime cum velamentis ovi. 94. Exemplum ſingulare hujus nexus. 94. ſeq.
—— —— nimis brevis. 101. not. c.

Funis umbilicalis nodo conſtrictus. 103. ſeq.
——— ——— præter modum craſſus. 101. not. b.
——— ——— præternaturalis. 102. not. c.
Gemini ſubinde unam placentam habent. 90
Graviditatis ſymptomata. 3. 28
——— tempus difficile determinatur. 17
Hepar peritonæo accretum. 61. not. c.
Hepatica arteria diſtincto oſtio ex aörta enaſcens. 126
Hydatides genitalibus ſæpiſſime adhærent. 9. & not. r. 59. 67
Hydatidum in utero ortus. 81. illarum, in quas placenta ſæpe degenerat. 86. Videntur ex vaſis produci. 87. argumenta, quæ hoc probant. 88. 89
Ictuum in graviditate noxæ. 26
Inflammatio uteri lethalis ob rudiorem placentæ protractionem. 107. Sectio cadaveris. 108. 109
Injectionum aquæ calidæ in uterum utilitates. 108
Inteſtinorum in graviditate ſitus. 7. 27
Intusſusceptio inteſtinorum 132. congenita. 133. not. d.
Iſchuria ab exoſtoſi oſſium pubis producta. 125
Lapſus in graviditate noxæ. 26
Lien inſignis molis & ponderis. 127. not. g.
——— in varias partes diviſus. 128
——— ſupernumerarius. 127. 128
Lienalis arteria diſtincto oſtio ex aörta enaſcens. 126
Ligamentum uteri dextrum breviſſimum, ſiniſtrum longiſſimum. 58. 59.
——— ——— dextrum longiſſimum, ſiniſtrum breviſſimum. 58
——— ——— ſupernumerarium. 59. 61
Ligamentorum uteri ſedes & nexus in graviditate multum mutatur. 31
Liquoris amnii examen. 11. 44. 45
——— ——— uſus. 45. 46
Maſſa primus uterum gravidum diſſecuiſſe dicitur. 4. not. a.
Menſtrua, unde proveniant? 68. ſeſe manifeſtarunt, clauſo licet uteri orificio. ibid. In gravidis ſubinde apparent. ibid. In aliis dicta de cauſa plenarie ſupprimuntur. 69

Meſen-

Meſenterii glandulæ obſtructæ. 132. & not. c.
Monſtrum ſingulare. 101. not. z.
Morbi fœtuum, in utero adhuc delitescentium, vix unquam deteguntur. 76
Motuum corporis violentiorum in graviditate noxæ. 26
Mucus, orificium atque collum uteri gravidi occludens. 14
Nervi in graviditate inſigniter adfici ſolent. 3
Nodi veri in fune umbilicali viſi. 103. varia exempla. 104. noxæ ipſorum. 105
Orificium uteri vel multum imminutum, vel penitus occluſum. 63. ſeq. partus impoſſibilis cauſa. 70. 71
Oſſium pubis nexus, & in graviditate habitus. 16. 53
Ovaria admodum parva. 58
—— inſignis magnitudinis. 60
Ova humana abſque ullo fœtus indicio. Deſcriptio talis. 78. ſeq. Originem præbent hydatidibus. 81
Ovi humani cum utero nexus. 9. 10. Membranæ. 11. 38
— —— vaſa in hydatides ſæpe degenerant. 82
Ovorum, abortu eliſorum, deſcriptio. 42. 43
Pancreaticus ductus duplex. 127. Finis a choledochi apertura diſtinctus. 127
Partus epidemici an dentur? 35. not. g.
—— impedimenta. 70. 102. 122. 123
—— impoſſibilis cauſa, orificii uterini clauſura. 70. Medela, hoc in caſu, adhibita. 72
Pelvis ex unica maſſa oſſea conſtans, innominatis & inter ſe & cum ſacro per anchyloſin nexis. 119
—— exoſtoſes varias habens. 121
—— in partu dilatatur. 53. argumenta, quæ hoc probant. 54. Aliquoties obſervata hæc dilatatio eſt. 55. diverſa nonnullorum opinio. 55. not. q.
—— renis duplex. 129. & not. l.
Placenta an ſtatim a partu extrahenda, an aliquamdiu relinquenda. 110. Rudior placentæ protractio lethalis. 106. Cadaveris ſectio. 108

Placenta diviſa in partes duas. 91. not. d. e. f. g. 92. in tres 91. not. h. i. in quatuor 92. not. k. in ſeptem 92. not. l. m. n.
——— ſæpe in hydatides degenerat. 83. Varia hujus degenerationis exempla. 84. 85
Placentæ cum utero nexus an intermediis vaſis fiat. 36. Videtur. 38. Experimenta, quæ hoc probant. 38. not. *.
——— ſedes incerta. 33. 35. Nexus ipſius cum ſegmento anteriore uteri. 10. 16. 34. & not. d. cum lateribus ib. not. e. cum oriſicio uteri. ib. not. f. g. cum vagina. 35. not. h.
Polypi uteri principium. 60
Procreationis neceſſitas. 1. 2
Pubis oſſium anchyloſis. 119
——— ——— nexus, & in graviditate habitus. 16. 53
Recti inteſtini in pelvi ſitus pone uterum gravidum. 15
Renis pelvis duplex. 129. & not. l.
Ruptura uteri. 71
——— veſicæ urinariæ. 113
Sectionis cæſareæ poſſibilitas. 26
Situs uteri gravidi. 22. 28
——— fœtus in utero. 12. 47
Spermatica arteria duplex in quoque latere. 126. in uno. 126
Sterilitatis cauſæ. 70. 73
Suppreſſio urinæ una cum involuntaria ipſius excretione. 108. 112
Thoracici ductus deſcriptio. 131. 133. Decurſus. 134. Finis 137. Varietates. 134
——— ——— præparatio. 138. not. r.
Trimelli quandoque unam placentam habent. 90
Tubæ Fallopianæ occluſæ. 58. 60. 73. cauſa ſterilitatis. 73
——— ——— Uſus earundem maxime probabilis. 75
Umbilici & vaſorum umbilicalium abſentia. 46
Ureteres duo ex uno rene prodeuntes. 129
Urinæ involuntaria excretio cum ſuppreſſione conjuncta. 108. 112
Uterus admodum parvus. 57
——— cum vicinis partibus concretus. 58

Uterus

Uterus ſubinde deficit. 62. not. *.
—— duplex. 63 not. †.
—— inſignis magnitudinis & craſſitiei. 66
Uteri ſitus naturalis & extra graviditatem & in graviditate in præternaturalem ſubinde mutatur. 29. not. l. 57. ſeq.
—— ſitus obliquus in graviditate multa producit mala. 61. 62
—— gravidi mutationes. 2. 3. Variæ pro vario graviditatis tempore. 17. 21
—— —— deſcriptio. 6. Cadaveris gravidæ ſectio. 7. nudo accumbit peritonæo. 22. raro intermedia inteſtina ſunt. 25. non ſemper in utroque latere ad eandem altitudinem adſcendit. 28
—— —— ſitus. 7. Superficies externa. 9. ſuperficies interna alia in ſede placentæ, alia in reliquis locis. 10. 14. Craſſities non ubique eadem 11. 50. Differt hæc in variis etiam corporibus. 50. 51. in variis partibus uteri. 51. Errores hac in re commiſſi. 51. Orificii ipſius habitus. 14. Colli ſuperficies interna. 14. 15. Forma externa variis de cauſis diverſa eſt. 28. 29. 30. Quænam pars uteri præcipue mutetur. 31. Ligamentorum uteri gravidi ſedes & nexus. 31
Uterum gravidum examinarunt multi. 4. Quis primus eundem deſcripſerit. 4. not. a.
Uteri ligamenta longitudine diſcrepantia. 58
—— ligamentum ſupernumerarium. 59. 61
—— retroverſio unde ſæpe fiat? 62
—— ruptura. 71
Vagina admodum anguſta. 57
—— quandoque membrana clauditur. 67. not. w. Natura ſibi tunc ſubinde opitulatur. 67
Vaginæ concretio poſt partum difficilem & laborioſum. 74. & not. u.
Vaſa in ſeparatione placentæ ab utero lacerantur. 10
—— lactea ab Aſellio detecta. 131. horum decurſus. 133
—— —— conſpiciuntur, ubi glandulæ meſenterii inſigniter tument. 132. & not. c.
—— quæ ovum ambiunt, in hydatides ſæpe degenerant. 82

Vaſis chyliferi deſcriptio. 131. 133. decurſus. 134. finis. 137. varietates. 134
—— —— præparatio. 138. not. r.
Vaſorum umbilicalium & umbilici abſentia. 46
Vena azyga duplex. 126. & not. b.
Veſalius de contentis uteri gravidi optime egit. 4. not. a.
Veſicæ urinariæ ſitus in gravida. 13
—— —— ruptura. 113
Veſicula ſub amnio ſita, ſpecies hydatidis. 39. not. p.
Viri in procreando officium. 2
Volvuli in inteſtinis viſi. 132. & not. d.

# F I N I S.

## B I B L I O P E G O.

Tabulæ omnes pone indicem rerum collocandæ, ſic ut Tab. I. huic paginæ opponatur.

## AAN DEN BOEKBINDER.

Alle de plaaten moeten agter den bladwyzer der zaaken geplaatst worden, zoo dat Tab. I. tegen over deeze zyde kome.

Tab. II.

Tab. I.




A. Deſſes, delin.

R. Muys, ſculp.

Fig. 1.




Fig. 2.




A. Delfos delin. R. Muys ſculp.

*Fig.* 1.




*Fig.* 2.




*A. Delfos, delin.* *R. Muys, sculp.*

Fig. 1.




Fig. 2.




A. Delfos, delin. R. Mayo, ſculp.




R. Delfos, delin. R. Muys, ſculps.




*K. Delfos, delin.* *R. Muys, ſculps.*



A. Delfos delin. R. Muys, ſculp.




R. Muys sculp.